ski

s

cus

Fr. Eustachius Zarbycki mppa

GEMMA
Coronæ Sarmaticæ
JACOBUS LUDOVICUS
Primogenitus
JOANNIS III.
Invictissimi & potentissimi Poloniarum Regis
FILIUS,
Ultimus Regii SOBIESCIANI
NOMINIS & DOMUS
NEPOS,
Inter obscuras fatalium noctium umbras clarius
LUCENS,
ad perennaturam verò tanti Nominis Memoriam denuò
Per Prænobilem Magnificum Dominum
JACOBUM, CASIMIRUM, RUBINKOWSKI
Consulem Primum Catholicum Thorunensem Ober-Postarum Magistrum, S. R. M. Secretarium,
Orbi Polono pro pretio
Annô Domini 1746,
EXPOSITA.

POSNANIÆ, Typis Academicis.



- - - - - - - - - manante sanguine signat
In Clypeo mandata Patris. *S.Ilius lib: 7mo*
Sidereô flagrans Clypeô & Cœlestibus armis. *Virgil:*
- - - - - - - - - - Clypeiq; cruenta
Lux rubet, & Solem longè ferit æmulus Orbis. *Statius.*
Clypeus fortium cecidit!
Clypeus Saul quasi non esset unctus oleô! 2. *Reg:* 1. ℣ 21.

Non tam curioso ausu, quàm publico applausu nuper adorado in Serenissimo JANINA Vivâ Coronam JOANNEM III. Regem Poloniarũ, nunc GEMMAM Sarmaticam Serenissimum JACOBUM LUDOVICUM Filium, inter obscuras noctium umbras lucentem publicæ luci prodere exhorrescerem, nisi hic præter privatum meum obsequium, cunctorum animos traheret in ponderosam æstimationem sui. Auro aurum, pretio pretium addidi: dum gemmam gratiosam Coronæ JOANNIS imposui. Fatalibus clarior ab umbris lucem exposcit publicam, cui à Sæculis diem accendit fortuna serenum. Ergonè Sol Regni Poloniarum Ecclipsim patitur? ergonè obnubilata obscuris Cimmeriis Serenissima JACOBI LUDOVICI pompa? ergonè inter posthumos cineres non vivit Filius JOANNIS III. Regis Poloniarum? desiit lucescere, sed non gloriæ; utpotè moriendi unum modum habens, vivendi mille figuras. Vivit

JACOBUS LUDOVICUS, post fata superstes, & tanquam Lechici Parlamenti Pupilla, Delicium Patriæ, unicus Amor Reipublicæ, vivit in corde omnium. Sufficiat pro colofone dixisse: Opera Serenissimi JACOBI LUDOVICI erant historia, Anni annales, Facta fasti perennales, qui non vulgarem suadam, sed Principem petunt Eloquentiam. Itaq; Hæres Regalium facinorum, REX Heroicarum Virtutum, GEMMA Coronæ Sarmaticæ JACOBUS LUDOVICUS, imperterritus Victor fatalium, pompam funebralem absolvens publicè in Ecclesia Abbatiali, & insigni Collegiata Zułkieviensi, nunc motivo gratuitæ obligationis fideli quondam Aulico ad latus REGIS JOANNIS III tredecem Annîs assistente, memorandæ posteritati Sæculorum cũ omni quâ par est reverentia proponitur

J. C. R. C. T. S. R. M. S.

SERENISSIMO ac INVICTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO
JACOBO III.
Magnæ Britaniæ, Franciæ, ac Hyberniæ
REGI
Defensori Fidei
DOMINO CLEMENTISSIMO,
GEORGIUS MOCKI
Abbas Sæcularis Insignis Collegiatæ Zułkieviensis, Canonicus Cathedralis Plocensis

Humillimam Submissionem.

Clypeum Serenissimi JOANNIS III. Magni ac Invictissimi Poloniarum Regis, Avi Tui desideratissimi, Gentilitium Decus, Sarmaticæ Coronæ Gemmam, ac Totius Christiani Orbis Splendorem; qui ultimo

Phæ-

Phœbo JACOBO LUDOVICO Principe Regio, Socero Tuo Charissimo, jam jam extincto in Poloniæ Polo lucescere desiit, Serenissimis Tuis, eâ quâ par est reverentiâ deferre liceat manibus, REGUM INVICTISSIME. Maximi in Christianam Rempublicam meritorum ponderis Insigne est; Insigne Barbari quondam Orientis Fulmen, Tyrannorum Domitor, Salvator Viennæ, Christiani Nominis Vindex, Polonæ Gentis ac Libertatis Defensor. Insigne tam Augustum, quod totum Famâ replevit Orbem, nunc in angusta se

se

se clausit urna. Insigne tam prægrande Dignitatibus, tam præclarum meritis, tam amplum Benefactis, Insigne tam cognatum Imperatoribus, tam conjunctum Regibus, tam fæcundum Prolibus, etiam futuris servandum Sæculis: Omnibus hisce destitutum Fulcris jã jã cecidit, cecidit ut suo casu in Te staret, occubuit, ut suo occasu in Te REX SERENISSIME assurgeret. Et certè quænam alia Regii hujus Scuti, dum staret, meta fuit? quodnam Votum, mihi ipsi conscio, dum Socer Tuus Serenissimus viveret, Illi fuit? nisi ut

in

in Te, Regiisq; Posteris Tuis perennaret. Non alio equidem fine, perfractis mille Orbis obstaculis, pretiosissimam Domus suæ Gemmam Angliæ Coronæ inseruit, ultimum Cordis sui Pignus MARIAM CLEMENTINAM *Filiam amantissimam ac Pientissimam in Sociam Vitæ Regiæ Majestati Tuæ concredidit, ut cum Illa omnia Domus suæ Decora in Te conferret. Tantæ ergo Domus Gloria Tua est, Tanti Virtus Clypei, jam Tibi militat: Tua sunt hæc omnia Maxime Regum, quæ magna de Regio* SOBIESCIORUM *Scuto*

Scuto deprædicat Orbis, in Te unum, Regiamq; Prosapiam Tuam, hæc omnia devoluta sunt; Tu hæc omnia cum pientissima Regina Tua hæreditâsti. Illa, Illa Sanctitatem Domui SOBIESCIANÆ *inquilinam, Angliæ Regno cum Fide Orthodoxa conjunxit, Illa Sanguinis* SOBIESCIANI *Gloriam, Decorum magnitudinem Regiæ Domui Tuæ fecit hæreditariam, Illa, Illa totam Lechiæ in* SOBIESCIIS *Felicitatem in hæreditarias Regnorum Tuorum transtulit Coronas. Illa, Illa Nominis* SOBIESCIA-

b NI

NI solatia in Tua Regia ad invidiam Orbîs propagavit, imò duplicavit Prosapiâ; sola mærens hæc eadem Regiæ Domus Tuæ solatia non invidet Lechia. Ast Regum Potentissime leva gravatam lacrymis, juva sine Scuto suo luctantem cum luctu, divide solatia Domus Tuæ, divide cum Polonia chara Angelica Pignora, quæ non uni tantùm Regno Anglicano, sed Toti suffecerint Orbi. En ultimus ex cognata Regiæ Majestati Tuæ Austriaca Domo Cæsar cecidit, respondet casui tanto Europa suo gemitu, suis lacrymis, suo sanguine, suis damnis, suis ruinis, quibuscum adhuc velut in agone luctatur, verberant aures nostras infelicia Regna, alia sanguinis naufragiô pereuntia, alia fluctuantia adhuc, quæ ad Principis Prosapiæ exitum, in mutuum exitium, ultimas suas conjurârunt vires. Sensit hæc eadem naufragia ad exitum Regiæ SOBIESCIANÆ Domus, & sentit eousq; Polonia, non una eandē fregit calamitas, quousq; Clypeum salutis suæ Scutum SOBIESCIANUM; sibi abesse noverat. Ast magna ejus felicitas vivere in Te

Rex Sereniſſime, & in Regia Proſapia Tua Scutum SOBIESCIANUM; *ut verè de Regiis tam Anglicana Tua, quàm Polono-Sobieſciana Domibus in Sereniſſima Prole Tua perennaturis, illud S. Paginæ dicere liceat:* Hæreditas ſancta Nepotes eorũ. *Quidnam & Ipſe* REGUM *Optime à* SERENISSIMO *ac Potentiſſimo Magnæ Britaniæ, Franciæ ac Hyberniæ* REGE JACOBO II. *Genitore Tuo Deſideratiſſimo, propter publicam Orthodoxæ Fidei Profeſſionem, ac ejusdem in Regnis ſuis hæreditariis Propagationem, ex iisdem propulſo, quàm Pietatem & Religionem hæreditatis, ut verè in Urbe Sanctitatis Roma, Regum exemplum, pietatis ſpeculum, Rex* Religioſus *& Defenſor Fidei dici merearis. Hæc Tibi moriens Idem Sereniſſimus Genitor Tuus cum ultima Paterna Benedictione hæreditaria & teſtamentaria transfudit Legatione: prout in Oratione Ejus funebri in Galliis habita* Reverendiſsimus *Emmanuel de* Roquette *Abbas Gildanus teſtatur.* *Fili mi vive in* Religione *hac propter quam ex terreno* Regno *meo exul, libens eidem*

emorior, ut vivam æterno, hoc Fili mi primum quærito, & terrenum adicietur Tibi. Quæ Pietas hujus rara sæculi? Quæ Religio? quis zelus tam fervens in tanto Rege? quam procul ab eo, Provincias & Regna armîs quærere aliena? quinimo & propria tam ampla propter solum Deum & Religionem libenter projicere. Hæreditâsti, hæreditâsti, hæc omnia Regum Religiosissime à pientissimo **REGE** *Patre Tuo; sæcula id nostra testantur, quod ad Tua hæreditaria Regna per arma non semel expetitus, îllud San-*

cti

cti Antecessoris Tui Regis Anglorum Edvardi ingeminâsti: Malo Regno carere; quod sine cæde & sanguine Civium obtineri nequit. *Superabundè & novit Zelum, Pietatem & clementiam Regiæ Majestatis Tuæ Zulkieviana Basilica Nostra, pro qua cessante cum vita zelo Serenissimi Soceri, dein Pientissimæ Reginæ Tuæ Regiam Majestatem Tuam ac S. Sedem benignè interposuisti, & eandem in Abbatialem Sæcularem (Dignitas nova & prima in hoc Regno) & in Insignem Collegiatam gratiosè evexisti, meq; humilem Serenissimi Regii Principis Soceri Tui per De-*

cades

cades servum, per Bullam Pontificiam in Primum Abbatem Sæcularem cum usu Pontificalium ac Violacei Coloris, aliisquè singularibus Prærogativis, & Privilegiis, tum duodecem Prælatos & Canonicos in Bonis Regiæ Sobiescianæ Domus, Præbendarios cum usu Robettæ, Muzetti & Mantoletti nigri coloris clementer promovisti, non alio intuitu & fine, nisi ut Regia SOBIESCIANA Domus & memoria meritorum ejus in Christianam Rempublicam in hac Basilica, in qua Regii Antecessores Serenissi-

musq; Socer, cum Regio Fratre Constantino piè in Domino quiescunt, sub hac particulari honoris distinctione in perpetuum vigeret, perênaretq;. Cùm igitur Regio Sobiesciano Nomini per hæc aliaq; innumera Beneficia in me signanter devoluta, obstrictum me esse sentiam; in Regiam Majestatem Tuam Serenissimamq; ejus Prosapiam, in quam cum Scuto Gentilitio tota SOBIESCIORUM Gloria hæreditate transfusa est, hanc quoque meam minimam transferre ausim gratitudinem. Admitte REGUM CLEMENTISSIME be-

nigno ac clementi vultu hoc lugubre grati animi mei erga Divæ memoriæ Socerum REGIÆ *Majestatis Tuæ, Dominumq; meum Clementissimum, ac ultimum Gratitudinis meæ Opus. Et quotquot hic devote ac sedulò congesta Regiæ SOBIESCIANÆ Domus numerabis monumenta, tot æterna SERENISSIMÆ Posteritati Tuæ & Gloriæ in sæculis, perennaturæ adscribe munimenta. Ita precatur*

REGIÆ MAJESTATIS TUÆ

Devinctissimus ac humillimus Servus
Georgius Mocki.

APPROBATIO CENSORIS.

Synopsis pompæ funebralis Serenissimi Regii Principis JACOBI SOBIESKI, in Collegiata Zołkieviensi celebratæ, cui Titulus: **GEMMA** *Coronæ Sarmaticæ* **JACOBUS LUDOVICUS** *Primo-genitus* **JOANNIS III.** *Invictissimi Poloniarum Regis* **FILIUS** *&c. ut imprimeretur, facultatem dedi:*

M. CASIMIRUS JARMUNDOWICZ, Utriusquè Juris Professor, Ecclesiarum Collegiatarum

SS.

SS. OO. Cracoviæ Canonicus, Ilcussiensis Decanus, Studii Academiæ Posnaniensis Director, Librorum per Diœcesim Posnaniensem Synodalis Censor.

Datum in Collegio Lubransciano Academiæ Posnaniensis, Annô Dom: 1746. Die 6. Apr:

m.pp.

RELATIO
POMPÆ FUNEBRALIS SERENISSIMI REGII POLONIARUM PRINCIPIS JACOBI LUDOVICI.

PRimò intrando per portam majorem in Ecclesiam, cujus structura in Crucis formam, in medio habens peraltum ac perlucidum Hemisphærium, pro tunc verò obscuratum, solaq; luce cereorum & olei

A oli-

olivarum illuminatum, octo Columnis angularibus à planitie parietum recedentibus sustentatum, hæ verò Columnæ novâ arcuariâ ac cælatoriâ structurâ perrubri marmorei coloris à porta Templi ad majus Altare ex utraq; parte ita applanatæ, ut planum totamq; lucem repræsentantes oculis redderent prospectum. Inferiùs verò capellas arcuatas in paralello habentes, quas striæ dividebant, in his capellis aræ novis Iconibus tempori pullato accommodis, erectæ, cereisq; lampadibus ex oleo olivarum perlucidæ, arcus verò capellarum ab extra ornati novæ inventionis lampadibus coloratis, de quibus ignis in medio inclusus, diversum in modum Iridis spirabat colorem, candelabra varia deaurata cum brachiis pro numerosis cereis portandis cælatoriè elaborata, quædam striis applicata, quædam pensilia in medio arcus capellarum pendentia, hinc inde vela ex serico raso coccinei coloris

loris, aureis obducta fimbriis à summitate usquè deorsum in medio ligata habentia, quædam super arcus cereis ornata suum superbè ediderunt lumen.

Super has arcuatas capellas coronices in longum extensæ elevatæ ac cælatoriè fractæ, cereisquè ornatæ, secundam portabant contignationem, habentem porticum cum choro musicali applanatum, quem choro similis marmoreus tegebat Peribolus, striatim sculptus, & variis cinctus armaturis; strias quasquè candelabra pergrandia deaurata, & in brachiis suis illuminata, in summitate de medio majorem celatum spargentia ignem, exornabant. Parietes verò in longum sericum rasum coccinei coloris in summitate tæniolis aureis fracto labore obductum, & Stemmata ex una parte Domus Regiæ Sobiescianæ rectâ lineâ procedentia, ex parte altera cognata tegebant, quæ intercalariter & in paralello perastrata rubri-

 marmo-

marmorei coloris cereis lampadibûsq; perlucida in hunc modum dividebant.

Etquidem à majore Altari ex una parte.

I.

Super Coronam Imperialem hanc habens Inscriptionem:

Cæsare Bavaricum, ac Cæsare Austriacum.

Sub Stemmatibus verò hanc in compendio Genealogiam.

CArolus VII. Romanorum Imperator semper Augustus, Maximiliani Emmanuelis Electoris, ac Theresiæ, Cunegundis Electricis Bavariæ, Jacobi Ludovici Regii Poloniarum Principis, Sororis Germanæ Filius, cum Maria Amalia Josephi I. Romanorum Imperatoris Filia, Maximiliani & Josephi tum Theresiæ & Benedictæ Regiorum Principum Pater Gloriosissimus.

II.

II.

Superius.

Regium Sobiescianum, ac Regium De Arquain.

JOannes III. Rex Poloniarum Invictissimus, Jacobi Sobieski ex Regio Sobieslai Sanguine oriundi, Primi Senatoris Regni Poloniæ, Castellani Cracoviensis, & Theophilæ Joannis Danielowicz Palatini Generalis Russiæ Filiæ, magni Stanislai Zułkievii Neptis, Filius, cum Maria Casimira Poloniarum Regina nata Marchionissa De Arquain ex Regio Capetto Galliæ Regum Sanguine procedente, Magnorum Trium Regiorum Principum Jacobi Ludovici, Alexandri & Cōstantini, ac Theresiæ Principis Electricis Bavariæ, Pater Maximus.

III.

Superius.

Regio Anglicum, ac Regio Sobiescianum.

Infe-

Inferiùs.

JAcobus III. Magnæ Britaniæ, Franciæ, Scotiæ ac Hyberniæ Rex Jacobi II. eorundem Regnorum Hæreditarii Regis ac ex iisdem pro suscepta Fide Romano-Catholica propulsi, Filius, ac MARIA Clementina Regina Conjunx, Duorum Regiorum Filiorum Caroli Odoardi Valliæ Principis, ac Henrici Eboracensium Ducis, Mater Pientissima, Regii Poloniarum Principis Jacobi Filia tertio-genita,

IV.

Superiùs.

Ducale Bovillonicum, ac Regium Sobiescianum.

Inferiùs.

FRidericus Mauritius Dux de Bovillon Princeps Averniæ, ac Maria Carolina Conjunx, Caroli ac Ludovicæ Principum Mater desideratissima, Regii Poloniarum Principis Jacobi Filia secundo-genita.

V.

Superius.

Ducale Radżivillianum, ac Ducale Wiśniovieccianum.

Inferius.

MIchaël V. Sacri Romani Imperii Princeps, Dux in Nieśwież & Ołyka, Radziwiłł, Castellanus Vilnensis ac Magni Ducatus Lithvaniæ Campi Dux. Caroli I. Ejusdem Magni Ducatus Cancellarii Filius, ac Michaëlis I. Procancellarii & Campi Ducis, tum Catharinæ Regis Poloniarum Joannis III. Germanæ Sororis, Nepos, cum Francisca Conjuge, de Regio Wiśnioviecciorum Sanguine Janussii Castellani Cracoviensis, Primi Senatoris Regni Poloniæ, Filia unica; duorum magnæ spei Filiorum Principum, Janussii ac Caroli, nec non Theophilæ Carolinæ ac Ludovicæ trium Filiarum Principum, Pater Præclarissimus, in Zułkiew Dominus & Hæres.

VI.

VI.

Superius.

Ducalé Zułkievianum ac Herburtianum.

Inferius.

STanislaus Zułkiewski Magnus Cancellarius ac Supremus Dux Regni Poloniæ, Ecclesiæ Insignis Collegiatæ, arcis, mæniorum ac Civitatis Zułkieviensis Fundator Maximus, cum Regina Comitissa de Herburt Conjuge, Joannis à Scythis in conflictu pro Fide & Patria occisi, ac Sophiæ Filiæ unicæ Pater Optimus, Regii Poloniarum Principis Jacobi Abavus exoptatissimus.

VII.

Superius.

Ducale Danielovicianum, ac Zułkievianũ.

Inferius.

JOannes in Olesko Danielowicz Palatinus ac Generalis Terrarum Russiæ cum Sophia Conjuge, unicâ Magni Zułkievii Filiâ

Filiâ, Stanislai à Tartaris in conflictu capti, ac pòst barbarè occisi, ac Theophilæ Pater, Regii Poloniarũ Principis Jacobi Proavus.

Ex altera parte à majori Altari. Stemmata cognata Regiæ Sobiescianæ Domui; superiùs suas habentia inscriptiones, inferiùs verò breves in compendio Genealogias.

I.

Superius.

Cæsare Austriacum ac Electorale Neoburgicum.

Inferius.

LEopoldus I. Romanorum Imperator semper Augustus, Hispaniarum, Hungariæ ac Bohemiæ Rex, Archi-Dux Austriæ cum Eleonora Principe Palatina Rheni Neoburgica, Conjugis Regii Poloniarum Principis Jacobi Germana Sorore, duorum Romanorum Imperatorum Josephi I. ac Caroli VI. nec non Regiarum Principum ac Archi-Ducum Elisabethæ, Magdalenæ

ac

ac Annæ Joannis V. Portugalliæ Regis Reginæ Conjugis, Pater Gloriosissimus.

II.

Superiùs.

Regio Hispanicum, ac Electorale Neoburgicum.

Inferiùs.

CArolus II. Hispaniarum ac Indiarum Rex Catholicus, cum Marianna Principe Palatina Rheni Neoburgica Philippi V. Regis Catholici Pater, Regii Poloniarum Principis Jacobi Cognatus.

III.

Superius.

Regio Portugallicum, ac Electorale Neoburgicum.

Inferius.

PEtrus II. Rex Portugalliæ, cum Maria Sophia Principe Palatina Rheni Neoburgica, Joannis V. Regis Portugalliæ, Ferdinandi ac Mariæ Barbaræ Regiorum Principum Pater, Serenissimi Poloniarum Principis Jacobi Cognatus.

V.

Superiùs.

Regio Polono Saxonicum, ac Cæsare Austriacum.

Inferius.

AUgustus III. Rex Poloniarum, Elector, ac Dux Saxoniæ cum Maria Josepha Josephi I. Romanorum Imperatoris, Filia, ac Serenissimi Regii Poloniarum Principis Jacobi, Nepte, Fridericum Augustum, Xaverium, Carolum, Albertum, Clementem, quinque Regios Filios, ac Mariam Amaliam Caroli Neapolis ac Siciliarum Regis Conjugem, Mariam Annam, Mariam Josepham, Mariam Christinam, Mariam Elisabetham, Mariam Cunegundem, sex Principes Filias Orbi progenuit.

V.

Superius.

Electorale Neoburgicum, ac Hassiæ Darmstadiense.

Inferius.

PHilippus Vilhelmus Elector Palatinus Rheni Dux Neoburgicus, cum Elisabetha Amalia Principe Filia Landgraviorum Hassiæ Darmstadiensium quinq; Filiarum Reginarum, ac octo Filiorum Principum Electorum ac Ducum Pater Gloriosissimus, Serenissimi Regii Poloniarum Principis Jacobi Socer desideratissimus.

VI.

Superius.

RegioLotharingicum,acCæsare Austriacum.

Inferius:

FRanciscus Lotharingiæ Princeps Regius ac Magnus Dux Hertruriæ cum Thressia Bohemiæ ac Hungariæ Regina Caro VI.

VI. Romanorum Imperatoris Filia, ac Regii Poloniarum Principis Jacobi Nepte, Carolum Archi-Ducem Austriæ ac duas Arch-Duces Filias Mundo edidit.

VII.

Superius.

Ducale Parmesanum, ac Electorale Neoburgicum.

Inferius.

ODoardus II. de Farnese Dux Parmæ & Placentiæ, ac Regii Poloniarum Principis Jacobi Cognatus, cum Dorothea Sophia Principe Palatina Rheni Neoburgica Elisabetham Philippi V. Regis Hispaniarum ac Indiarum Catholici, Conjugem Reginam procreavit.

In eadem etiam linea & in eodem tractu & pari modô chorum & organa ornârunt Stemmata Regiæ Sobiescianæ Domui in Regno Poloniæ ac Magno Ducatu Lithva-

niæ

niæ cognata, præsertim Ducum Radzivilliorum, Sangusciorum, Jabłonowsciorum, Lubomirsciorum & Koniecpolsciorum, ac super hæc omnia seorsivè Stemmata, videbatur una in alto Corona Regia inverso cadens cum lugubri hac ex Threnis Jeremiæ expresione.

Versus est in luctum Chorus Noster, & Organa nostra in vocem flentium. Cecidit Corona Capitis nostri. Thren: 5. Vers: 16.

SUper hæc omnia Stemmata tertiam contignationem Ars Coronaria prægrandis & lata parietes totius præcingens Ecclesiæ noviter extructa, commodamquè exhibens deambulationem pro illuminandis & extinguendis cereis ac lampadibus arcuatim & affabre ibidem per gyrum accommodatis, præsentabat, super has coronices in arcubus tholi, quos striæ illuminatæ distinguebant, in quovis separatim historia bellicarum actionum Regiæ Sobiescianæ Domus, præsertim & harum, quibus & Ipse Serenissimus Regius Poloniarum Princeps Jacobus præerat, celebremquè se reddidit, legebatur.

Et quidem in parvo choro à parte una bellicæ actiones Serenissimi Regis Joannis III. adhuc Supremi Regni Poloniæ Ducis, in primo arcu majori ex parte majoris Altaris, Janina, id est Scutum seu Stemma Regium super globum terrestrem erectum, supra se in globo Cœlesti simile ex stellis habens Scutum cum inscriptione Astrologorum: *Scutum Sobiescii.* Sub scuto verò terrestri Epigraphe legebatur:

In expugnabile Scutum
Terris Astrisquè triumphans.

In secundo arcu idem Scutum erectum Ducali coronatum Mitrâ,

ac

ac variis circumdatum armaturis ac Trophæorum signis hanc superiùs præsentabat descriptionem.

IN expugnatis direptisquè Turcarum ad Chocimum Castris, ibiq; plusquam octuaginta millibûs Barbarorum deletis, altero ab obitu Michaëlis I. Poloniarum Regis die, virtute & Imperiô Joannis Sobieski Supremi tunc Exercituum Poloniarum Ducis, post Poloniæ Regnantis Joannis III. Annô VictorisDEI MDCLXXIII. Novembris XI. ipso Divi Martini Militum & Heroum Patroni Die.

Inferius verò id ipsum versu expressum.

Infractus Clypeus gladios & tela retorquens
Civibus alta quies, hostibus Umbo gravis.
Millia dum una dies ad Choecimum octuaginta
Et Duce, deleri plura, Joanne videt.
Jam didicisti tunc Otomanne: videre Joanni
Vicisse est, si hæc Dux? quantane Rex faciet?

In tertio arcu Idem Scutum varias sub se devictas habens Scytharum nationes, hanc verò superiùs descriptionem:

Turcarum, Calmucorum, Tartarorum, Cosacorum ac Valachorum sæpius Debellator ac Victor Joannes adhuc Supremus Exercituum Regni Poloniæ Dux.

Inferius hoc habens Distichon:

Quid juvat Heroum prægrandia scribere gesta?
Quod spectare voles; omne Janina dabit.

EX diametro verò Heroicæ ac Bellicæ actiones Stanislai Zułkievii Magni Cancellarii ac Supremi Exercituum Regni Poloniæ Ducis, Serenissimi Poloniarum Regis Joannis III. Proavi, ac primi Fundatoris Basilicæ hujus Insignis Collegiatæ Zułkieviensis ac mæniorum, legebantur.

Et

Et quidem in primo arcu Solea seu Stemma Zułkievianum, Vaticinium suum hoc Disticho exprimebat.

Exoriare aliquis Nostris ex Ossibus altor
Dux Solea exoptat, Rexq; Janina dabit.

In secundo arcu hæc eadem Solea Zułkieviana variis armaturis Trophæorumquè signis circumdata, superius hanc habens descriptionem:

IN profligato ad Klussium numerosissimo Moschorum & exotico confœderatorum exercitu sub auspiciis Sigismundi III. Polonorum & Svecorum Regis, Ductu verò & Regimine Stanislai Zułkiewski tunc Palatini Kiioviensis & Exercituum Poloniæ Campi Ducis, devictis ibidem tribûs Fratribûs Supremis Moschoviæ Ducibûs & secum in Poloniam abductis, Regiquè Varsaviæ præsentatis, ac post ibidem demortuis, totum Russiæ Imperium Regi & Reipublicæ Polonæ fecit tributarium ac Hæreditarium Annô M.DC.X. Die IV. Julii.

Idem versu inferius expressum.

Tu Pater Heroum Zułkievi Victima legum
Monstrâsti Patriis prælia quanta dare
Expedit, ac quæquæ pro legibus ardua ferre,
Vincere sive mori, Cordis utrumquè Tui.
Inquè tribus Ducibus captis Moschum superâsti
Urbs, arx, Sancta etiam hæc, plura trophæa canunt.

In tertio arcu eadem Solea Zułkieviana gloriosis laureis ac trophæorum signis stipata, hanc historicam præsentabat descriptionem.

FOrtunâ æmulâ, aut invidâ potiùs, post tot partas de Barbaris victorias Stanislaus Zułkievius Magnus Regni Poloniæ Cancellarius ac Supremus Exercituum Dux à

Vala-

Valachis perfidis ac profugis in conflictu elusus ac deceptus, plurimisq; Polonorum suorum hinc intimoratis destitutus, velut alter Machabæus cum sex millibus suorum contra plus centena ad Cecoram decertans, dextrum Cornu fractum incautè secutus, hinc à reliquis inimicorum à tergo involutus, gloriosam mortem ingloriæ præposuit fugæ. Annô M.DC.XXII. die VI. Octobris.

Inferius verò id super hæc habens Distichon:

Hæc qui das Famæ vestigia Magne Virorum,
Vis paucisquè mori, quàm fugere & regere.

IN majori verò choro in quatuor permagnis arcubus, etiam in parte tholum occupantibus & carbasô tectis, in quibus actiones bellicæ Serenissimi ac Invictissimi Poloniarum Regis Joannis III. Ducente etiam in iisdem partem exercitûs Regio Filio & Principe Jacobô, sub symbolis Janinæ seu Scuti Regii Sobiesciani, alludentis ad id, Cœli Empyrei, quod Astrologi etiam exteri in globis suis Empyreis scribunt & vocant; *Scutum Sobiescii*, expressæ.

Et quidem in primo arcu partis unius, Janina seu Scutum Sobiescianum, recta stans Regio Coronatum Diademate, stipatum à lateribus variis armaturis & armis ac trophæorum signis.

Super se hanc historicam habens Descriptionem:

PUgna seu actio bellica data Turcis ad Viennam Austriæ, quò in auxilium ab Imperatore Romanorum Leopoldo. I. invitatus Joannes III. Poloniarum Rex ire renuit, donec oppignoratam Romanorum Imperatoribus Sarmatici Regni in eligendo Rege alio, (nisi quem Imperator vellet,) libertatem, quam Prædecessor Illius Joannes

nes Casimirus Rex pro subsidiis contra Carolum XI. Sveciæ Regem, Regnum Poloniæ vastantem, coactè invadiaverat per cyrographum, unà cum eodem vindicaret. Liberatâ dein Viennâ ac Hostibûs cæsîs & fugatis, quos Regius Princeps Jacobus non minus Martiali, quàm juvenili fervore usquè ad vesperam insecutus Victor Urbem ingrediens, Salvator salutatus Annô M.DC.LXXXIII.

Inferius verò idem versu expressum.

Te Salvatorem Germania, Teq; Vienna,
Te dicit vastum Cæsaris Imperium.
Christiadum totus Clypeô hôc servatus & Orbis,
Stant Patriæ leges, statq; Polona salus,
Vincere libertas quoquè provenit hoc rediviva!
Cumquè vices nequeas, solve pias lacrymas.

IN eadem linea in inferiori arcu Janina seu Scutum Sobiescianum Regio Diademate coronatum de terra elevatum versùs Cœlum Empyreum sibi apertum, varia infra

fra se trophæorum insignia relinquens, cum hac historica superiùs descriptione.

Pugna seu actio Bellica data Turcis Scythisquè reliquis fœderatis ad Strygonium in Hungariæ Regno, Urbe eadem capta, Hostibûs cæsîs, prostratîs, captîs, reliquisq; ex toto Regno propulsis strenuè ibidem agente Regio Principe Jacobo totum Imperium hinc ab Hoste Othomano securum reddidit, Annô M.DC.LXXXIII.

Inferiùs idem versu expressum:

Arma cruentatis latè fulgentia campis
Luna Othomanna & Tu, luce repressa Janin,
Barbara Gens omnis quos hæc Strygonia clades
Fædere conjunctos enumerat socios,
Hactenus an licuit vobis extollere fastum
Christiadum in Terras, usquè Janina fuit.

EX diametro in majori choro & arcu superiori Janina seu Scutum Regium jam in Cælum Empyræum elevatum, & nubibûs dimidiô tectum hanc sub se historicam habens descriptionem.

Pu-

Pugna seu actio Bellica data Turcis, Tartarisquè ad Parkanum à Rege Joanne III. eâquè liberatâ ac hostibûs profligatîs & profugîs insequente etiam eosdem Regio Principe Jacobo, Annô M.DC.LXXXIII.

Inferiùs verò idem versu expressum:

O Regale Decus, magni spes tota Gradivi
Gentis delicium ac unicus Orbis amor,
Deseris en Terram Clypeus populiq; Salutem!
Prostratum toties Gens Othomana Caput
Extollet! jam jam & nostras remeabit in oras,
Umbo Janinus abit, quis modo tutus erit?

In inferiori arcu Janina seu Scutum Sobiescianum ex stellis in Coelo Empyreo rectâ stans, habensquè supra se coronam stellatam, indicans & in Cælis Scuto Sobiescio (in terris cum ultimo Sobiesciorũ Nepote Regio Principe Jacobo extincto) fixo non deesse Coronam, toties eidem in terris negatam.

Inferiùs in terris varias armaturas, arma, & Trophæorum Insignia relinquens cum historica expressione actionis Bellicæ ad Trembowlam Joannis III. Poloniarum Regis ejusquè in Persona ultimæ, celebrem se ibidem reddente Regio Principe Jacobo, Annô M.DC.LXXXVII.

Idemquè versu expressum:

Jamquè suo Cœli gaudent umbone tueri
Terquè Throno ac Patrio sponte Janina Polo
Exclususquè solo, solus gaudebit Olympus
In tenebris plora, carmina mæsta cane
Tu Gens Heroum, en post tot tantosquè triumphos
Jam Tibi perpetuum datquè Janina vale

IN medio Ecclesiæ sub ipso Hemisphærio Castrum Doloris se usquè ad coronices tholi altitudine extendens nova inventione & arte cælatoria in figura fracto-rotunda, positum, in fundamento trium ulnarum erecto, octo columnæ super stylobatis suis, totum reliquum coronarium opus cum tholo suo sustentabant. Architectura ejus Dorica composita; intra quasquè duas columnas Genius Virtutis, quorum quatuor

D affa-

affabrè ſculpti, ſpeciales quatuor, quibûs dum viveret, eminebat Regius Princeps Jacobus, virtutes repræſentabant.

Primus Genius Eleemoſynæ, hanc Sacræ Paginæ in ſtylopata ſuo habens Epigraphē:

Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum. Eccl: 31. v. 11.

Secundus Genius miſericordiæ illam Sacræ Paginæ habens Epigraphen:

Ab infantia crevit mecum miſeratio, & de utero Matris meæ egreſſa eſt mecum. Job. 31. v. 18.

Tertius compaſſionis, illud S. Paginæ in ſtylopata ſuo legendum dedit:

Flebam quondam ſuper eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Job. 20. v. 25.

Quartus Patientiæ illud:

Si

Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala cur non ſuſcipiamus? Iob. v. 20.

SUper has columnas octo, ars coronaria peribolum ſtriatim fractum, variis armaturis ornatum ſuſtentabat, ſupra duas ſtrias à facie ingreſsûs Templi, duo Genii amoris affabrè cælati, quorum unus amorem Dei, cum hac S. Paginæ in ſtylobata ſuo epigraphe:

De omni corde ſuo laudavit Dominum, & dilexit eum, qui fecit illum. Eccl: 47. v. 10.

Alter amorem proximi repræſentabat cum hac epigraphe:

Oculus fui cæco, pes claudo, Pater eram Pauperum. Job. 29. v. 15.

REliquas verò in gyrum ſtrias candelabra deaurata in brachiis ſuis & in ſum

D2 mita

mitate cereis illuminata ornabant, medium autem Castri Doloris proportionatè altus & rotundus texit tholus, summitas ejus affabrè sculptam exhibebat Famam, stantem supra stylobatam, in dextra habentem tubam cum pensili à medio charta, quæ hanc lugubrem Famæ per Orbem vocem legendam dedit.

Num ignoratis vos, quòd Princeps & Maximus (quia Primogenitus & ultimus) cecidit hodie. 2. Reg: 3. v. 30.

In manu verò sinistra scutum aliaquè insignia confracta tenens, & innixa super mortis figuram cū hac S. Paginæ epigraphe:

Ibi confregit potentias arcuum, scutum & gladium. Psal. 75. v. 4.

AD intra verò hujus feralis Domicilii supra quinq; gradus stratos sericô tonsô cocci-

coccinei coloris aureis obductô fimbriis & filis aureis liberè defluentibûs terminatô, eminebat peribolus ovaliter arcuatus, ac ex omni parte diaphanus, qui equidem sericô tonsô coccinei coloris aureis longioribûs obducto fimbriis, filisq; longioribûs aureis liberè defluentibûs terminatô stratus, succollantibus quatuor magnis Aquilis argenteis naturalis effigiei; Regium cum corpore Principis Serenissimi portabat sarcophagum, vestitum sericô eôdem, in extremitatibus aureis obductum fimbriis, claviculis argenteis grandioribus affixus, à capite & pedibus totum argenteis tectum laminis; in quibus dies nativitatis & mortis Regii Principis expressus, à latere verò utroq; super elevato textili serico stragulo auro variato, hinc aurea Corona Regia aliaq; insignia Domûs, inde aurei velleris Equestris Ordo splendidè apparebant.

Ad

Ad caput ſarcophagi paulò inferiùs ex parte dextra Polonia in ſitu lugubri affabre ſculpta ſedens, in una manu Regni Poloniæ Stemma, in altera tabulam cælatam cum hac tenens expreſſione:

Polonia mærens ultimum ſuo Principi Magni Regis ſui Joannis III. Libertatis, ac Legum Vindicis Maximi, Filio, Sobieſciani Nominis ultimo, vale dicit.

Ex parte siniſtra Lithvania in manu una Stemma Magni Ducatus ſui, in altera tabulam cælatam cum hac lugubri tenens expreſſione:

Lithuania gemens, gratas ultimo magni ſui Ducis Joannis III. Patriæ ac Chriſtiadum Defenſoris Invictiſſimi, Filio, perſolvit lacrymas.

In gyrum verò ſarcophagi ſupra omnes gradus in permagnis argenteis in copia candelabris cerei varii ad duodecem librarum accenſi defluebant.

Sarcophagum Regium conopeum ſericum aureis obductum fimbriis majoribûs, & filis longioribûs tegebat, de quo ex omni quatuor partium ſimilia vela fimbriis aureis & filis terminata & in medio ligata ex arcubus mauſolei hinc inde exibant Super arcum verò, qui frontē mauſolei hujus præſentabat, in tabula cælata coronicibus affixa hæc legebatur inſcriptio:

Clypeus Fortium cecidit, Clypeus Saul, quasi non eſſet unctus Oleô. 2. Reg: 1. V. 21.

Baſis verò ſupra tabulam grandiorem cælatam ſuperiùs in ſtragulo ſerico Scutum Aureum, Domus Sobieſcianæ inſigne cum Corona Aurea Regia præſentans, hoc legendum exhibebat Epitaphium: Cly-

Clypeus Fortium,
JACOBUS LUDOVICUS
Regius Regni Poloniarum & Magni
Ducatus Lithuaniæ
Princeps
JOANNIS III,
Regis Poloniarum Invictissimi,
Barbarorum Domitoris intrepidissimi,
Christiadum Defensoris Fortissimi,
Patriæ ac Legum Vindicis Gloriosissimi,
FILIUS,
Paternarum Expeditionum Bellicarum
Ad Viennam, Strigoniam, Parkanum,
Trembowlam & Chocimum
Imperterritus Comes,
Ultimus Regii Sobiesciani Nominis Hæres
ac tot tantîsquè vicissitudinibûs
Infractus Heros
Unico Libitinæ tactu confractus
cecidit.

Cui

Cui Gallia vitam, Polonia mortem,
Primus Fratrum Parisiis natus
Annô M.DC.LXVII. Die II. Novembris.
Ultimus feralem Zołkieviæ clausit Diem
AnnôM.DC.XXXVII.die XIX. Decembris,
Et cui ter Patria solium noluisti Paternum
nunc semel precare æternum.

Basis versùs majus Altare exhibebat diem nativitatis & mortis Principis Regii cum hoc textu Sacræ Paginæ.

Dies Annorum Nostrorum, in ipsis septuaginta Anni. Psal. 89. v.10.

Latus dextrum exprimebat decessum Ejus, sicut in plenitudine annorum, ita & meritorum.

Ingredieris in abundantia Sepulchrum, sicut infertur Acervus Tritici, Job. 5. v. 26.

Latus sinistrum de Principe hoc Regio quempiam finis sui admonebat. E Et

Et vos sicut homines moriemini & sicut unus de Principibus cadetis Psal. 81. v. 7.

A Castro Doloris recedēdo, in medio octo columnarum hemisphærium sustinentinentium, quatuor Obelisci seu Colossi altitudine coronices Tholi tangentes, Domum Regiam Sobiescianam in Rege Poloniarum JOANNE III. & tribus Regiis Ejus Principibus Filiis, JACOBO, ALEXANDRO, & CONSTANTINO extinctis, cujusquè cum Icone sua in medio Personam præsentabant. Epistylium verò Coronam Auream Regiam aliaq; insignia Domûs in stragulo serico aureis obducto fimbriis exhibebat. Obelisci ab imo ad summum variis trophæorum signis, frondibûs laurorum & olivarum, cereis, lampadibûsq; ornati, oculis intuentiũ mirandè & superbè se præsentabant cum his in stylobatis suis Epitaphiis.

Epita-

Epitaphium Serenissimi Regis Poloniarum JOANNIS III. à facie ingressûs Templi in primo Colosso.

EXprimit hæc Pyramis Magni Trophæa JOANNIS,
Magnum Cûi Nomen Turca, Vienna dedit.
Hic natus Civis, Belli Dux, Scipio Regni,
Scytharum Fulmen, Lechia sceptra tenens.
Ad Chocimum Turcam prostravit & usquè Meotim
Post, Salvatorem pressa Vienna novit.
Terror Pannonicus meruit Virtute vocari,
Cùm Strigonas docuit, mox superâsse acies
Et Parcana dolet clades rubuisse Danubi
Sanguine Othomanno per sua stagna Grani.
Quid resonans poterit plus spargere Fama per Orbem?
Quando Urbs salva stetit, Cæsar & Imperium.
Aut referet Tantum Heroem quis carmine Vates?
Ipsaquè cùm virtus altiùs ire nequit
Ergo Viatores monumentis sculpta videte;
Exiit an Major Rege JOANNE Ducum.

Epitaphium Regis JOANNIS III. in Frontispicio versùs Castrum Doloris.

Con-

Convolet Orbis,
Accurrat Civis,
Legat hospes,
Lugeant omnes!
Immortale JOANNIS corruisse Nomen.
Nomen!
Quód solo auditu terrebat & vincebat hostes.
Corruit
Clypeus Fortium,
Clypeus Saul cecidit,
Quasi non esset unctus oleô.
Clypeus Jlle,
Patriæ Præsidium, libertatis Propugnaculũ,
Legum Vindex
Ac totius Christianæ Reipublicæ Salus.
Nullo unquam labore,
Nullâ Fortunâ,
Nulla calamitate,
Nullo Armorum Orientalium pondere
Pressus aut labefactus
Jam cecidit.

Pater

Pater Patriæ
Magnus Jlle JOANNES III. Poloniarũ Rex
Non sibi sed bono publico natus,
Qui suavi ac languido suo Regimine
Ita se omnibus exhibebat Dominũ & Regẽ:
Ut Pater simul ex affectu nosceretur.
Vivere desiit
Jlle, Jlle Pater Patriæ,
Qui suarum oblitus
Semper Populorum studuit necessitati,
Regales, Solium comitantes, exosus Delicias
Subditis illas procurare non cessabat.
Unde
Volupe est Coætaneis
illarum meminisse felicitatum
Quibûs sub Auspicatissimo JOANNIS
affluebant Regimine.
Nullã quidẽ Patria ab hostibus habuit pacẽ,
Sed an Bellum gereretur nesciebat.
Nullum vidit aut novit Hostem
illo in limitibus excubante & Bella gerentẽ.

Vita

Vitâ ille Suâ
Inter continuas mortes
Cunctos vivere faciebat,
Suîs sudoribûs
Otium singulis comparabat,
Suâ vigilantiâ
Securitatem populo,
Tolerantiâ molestiarum
Liberos subditis producebat dies,
Suîs Casibûs stare,
Sua salute in morte projecta
Omnes vivere fecit.
Illũ unũ semper omniũ exceperũt pericula,
ille, ille meta vulnerum,
Quæ in Patriam plenîs Traciæ
Effundebantur pharetrîs,
Idem Trajanus, Idem Dux
Idem Imperator, Idem Miles,
Cum Corona & Paludamento Regali
Boni Publici induit Rationem.
Hinc

An-

Ante liberatã à pressuraOthomanorũ Viẽnã
Non prius in succursum pergere voluit,
donec perRegẽJOANNEM CASIMIRUM
à Svecis cum Toto Regno pressum
in Aula Imperatoria oppignoratam
in Novo eligendo Poloniæ Rege
Libertatem vindicaret.
ille, ille JOANNES
Cujus Fama totũVictoriîs impleveratOrbẽ,
In auge tamen felicitatum constitutus
Gloriâ & triumphîs parcissimè usus,
Deo uni eosdem attribuens.
Trophæum simulacra
Chocimensia, Viennensia, Parcanẽsia,aliaq;
Non in aula sua Regia,
Sed in hac Domo Domini
Zułkieviæ appendens
Nec ibidem illud superbum:
Veni, Vidi, Vici,
Sed illud Sacræ Paginæ:
Dextra Domini fecit Virtutem.

Appe-

Apponere voluit Symbolum:
Ille inquam JOANNES
In Quem unum
Dotes omnium antehac Regnantium
Munifica congessit Dextera
Varsaviæ Annô M.DC.XC.VI. XVII. Junii.
Die Sanctissimæ Triadi Sacra
Feralem proh dolor! clausit diem.
Debuerat sanè hic Princeps nunquã mori,
Cujus Vita
Quantum Sarmatiæ Regno attulit Gloriæ,
Mors tantum Felicitatis detraxit.
Stante Ejus vita
Stetit inconcussa Regni Nostri Fortitudo,
& integritas.
Tunc primùm in visceribus Patriæ
Hostes sensisse cæpimus,
Cum JOANNES esse desiit,
Omnia post Illum Calamitatum
Super nos irruerunt agmina.
Relictum in Sepulchralibus hujus Basilicæ
Marmo-

Marmoribus, impletum est Vaticinium:
Væ Genti insurgenti contra
Genus meum!
Altissimus enim vindicabit in eis;
Ne verò majorem ingratitudinis sentiamus
Vindictam,
Vivit adhuc in Regiis Posteris suis,
Vivit in Nepotibus JOANNES,
Ut & in Cordibus Nostris perennet,
Gratam ibidem ac æternam Benefactis Ejus
Inscribamus memoriam.
Secundus Colossus
à facie ingressûs Templi hoc Serenissimi Regii Poloniarum Principis JACOBI in Stylopata suo legendum exhibebat Epitaphium:

Noluit Hic Magnus Regno præesse Polono
Nomine, sed voluit major inesse Polo

Má-

Maximus hinc factus felix cùi Optio facta est.
Maxima pro magnis Sceptra tenere Jovis.
Omnibûs Hic spretîs securus jam modò dicit
Cùm Superos adii; Terra valeto mihi.

A Frontispicio verò versùs Castrum Doloris Epitaphium illud:

Sta Viator
Lege & Luge!
Magnum JOANNIS Nomen
In ultimo hodie consepeliendum Nepote
Principe JACOBO LUDOVICO
Cum quo infelices mors luit vices.
Cecidit suppedaneus Terræ
Nomine ex suo Supplantator
Prima & ultima Regiæ Domus Planta
JOANNIS III. Regis
ac MARIÆ CASIMIRÆ
Poloniarum Reginæ,
Regibûs Digna,
Soboles Gloriosa,
Charissima Progenies,

In

In Juventutis adhuc Flore
Variarum Bellicarum Expeditionum
Contra Scythas & Barbaros
Individuus Patri Comes,
CAROLI VII.
Regnantis Romanorum Imperatoris
ac Bavariæ Electoris
P A T R U U S,
J A C O B I III.
Magnæ Britaniæ,
Franciæ ac Hyberniæ Regis
S O C E R,
PHILIPPI V. Hispaniarum
Ac JOANNIS V. Portugalliæ Regum
Propinquus,
LEOPOLDI ac JOSEPHI I. & CAROLI VI
Romanorum Imperatorum
Archi-Ducum Austriæ
Pluriumquè Europæ Coronatorum
Tum Electorum Principum ac Ducum
Cognatus,

F2

Sen.

Sensit in Domo sua
Unctorum Domini Odorem Agri pleni,
Cui benedixit Dominus.
Thori Sociam adjunxit sibi
Hedvigem Elisabetham
è Domo Palatina Rheni Electorali
Neoburgica
Cæsarum, Regum, ac Imperii Electorum
Amitam.
Postquam impléşset dies
Annorum Nostrorum Septuaginta
11mâ Novembris inter animarum Natus
Lamenta
Non sine lacrymis majoriq; ploratu,
Præsentibûs
Serenissimâ Filia Carolinâ & Nepte
Duobûs Primîs Regni Poloniæ Proceribûs
Magnô Cancellariô ac Supremo
Exercituum Duce
Aliisq; pluribûs Magnatibûs
Totiusq; Aulæ suæ Domesticis
XIX.

XIX. Decembris ultimum clausit Diem.
Tu Precare Viator
Ut sedeat cum Principibus
& Solium Gloriæ teneat.

COLOSSUS III.

Hoc Serenissimi Principis
ALEXANDRI, JOANNIS III.
Regis Filii Secundo-geniti in Frontispicio
Stylobatæ sui repræsentabat Epitaphium:
Serenissimas Umbras habes Viator,
ALEXANDRUM
Nomine & Re Magnum
JOANNIS III.
Magni Poloniarum Regis Filium,
Vivam Patris Imaginem.
Hic
Linguarum Scientiâ, Historiarũ Monimẽtis
& singulari à teneris eruditione
Excultus.
Alloquiô Gravis,

Omni-

Omnibus tamen affabilis,
Cuncta sciendi percupidus,
Politiâ atq; Regnorum peritiâ
In Juvenili ad stuporem ætate
Imbutus,
Ad Fortia agenda Animosus & Præcox,
Contra Scythas in Valachia ad Niemec
Primo Adolescentiæ Flore
Legionum Paternarum Ductor
Ac Victor.
Ad Regni Poloniarum Fasces
Pro paciscenda undiq; concussa
protunc Republica
Multis precibus quæsitus
Majoribus Natu Fratribus
Præripere Palmam
Modestè renuit,
Imperatoribus ac Regibus
Ipsiq; Summo Pontifici
CLEMENTI XI
Cujus Oraculô ad Magna Natus

Acceptissimus.
Tandem
In ipso maximæ Expectationis & spei Flore
Ad Singularem Omnium,
Summum Regiæ Domus mærorem
Ipsiusq; Summi Pontificis compassionem
Romæ xix. Novembris Annô MDCCXIV.
Piè in Domino obiit.
Tua adhuc hic deest compassio,
Eam cum lacrymis affunde Viator,
Ut Serenitas Hæc
Æternitati vivat Serenior.

COLOSSUS IV.

Serenissimi Poloniarum Principis CONSTANTINI, JOANNIS III. Regis Filii Tertio-geniti hoc in Stylobata Suo legendum dedit Epitaphium:

Chri-

Christiane Hospes
Siste gressum
Mentem non oculos in me converte,
Vis nosse me,
Quære ex Te,
Miraberis Magnum
CONSTANTINUM
Ex Magno Poloniarum Rege,
Quô Nemo Surrexit Major
JOANNE III.
Natum,
Imperatoribus, Regibus ac Principibus
Cognatum,
Ex Senatorio, & Comitum Wesseliorum
Sanguine
Præclarissimæ Genere, Prudentiâ,
Dexteritate, & Virtute, Conjugi
MARIÆ JOSEPHÆ
Copulatum.
Invenies Parvum,
Sum etenim,

Idem

idem Ego qui & Tu,
ex nihilo Homo,
in vita pulvis,
post mortem vermis,
unicum totius vanitatis speculum.
Hinc disce Viator:
nihil magni esse in vita,
minus manere post mortem,
& quam Ego ex naturæ debito
Zułkieviæ XXII. Julii, Annô M.DCC.XXVII.
inter Magdalenæ lacrymas
Annos natus XLIX.
in certo jam persolvi,
tu his jungito tuas,
& tuam certò
In incerto adhuc expecta.

SUperiùs duobus Colossis Regiis in magno Choro inter Columnas positis, & inferiùs aliis duobûs in parvo Choro positis, in quovis Columnarum angulo qua-

G tuor

tuor Genii in ſuis peraltis Stylobatis ſtantes in lugubri ſitu affabrè cælati, deplorantes & in fæmineo ſexu deceſſum Regiæ SOBIESCIANÆ Domus, ſcilicet Hedvigem Eliſabeth Regii Principis JACOBI Conjugem, ac Tres Sereniſſimas Eorundem Filias Mariam CASIMIRAM Primo-genitam, Mariam Carolinam Secundo-genitam, Duciſſam de Bovillon. Mariam Clementinam Tertio-genitam, Magnæ Britaniæ, Franciæ ac Hyberniæ Reginam, manu una Cujusq; Iconem portantes, manu altera dolenter monſtrantes Eandem, aut lugubre ſignum præſeferentes.

Genius I.

Iconem Hedvigis Eliſabethæ Regii Principis JACOBI Conjugis præſentans, cum hoc in Stylobata ſuo Epitaphio:

Hedvi-

Hedvigis Eliſabetha Amalia
præcipuum & ſingulare Ævi ſui
quòad Prudentiam, Pietatẽ & Verecundiã
Virtutumquè omnigenarum
Decus & Augmentum,
JACOBI LUDOVICI
Regii Poloniarum Principis
Conjunx,
trium Principum Filiarum
MARIÆ CASIMIRÆ, MARIÆ
CAROLINÆ, MARIÆ CLEMENTINÆ,
dignarum Regnis Reginarum
MATER,
Sereniſſimorum PHILIPPI VILHELMI,
Electoris Palatini Rheni,
ex Principibus Neoburgicis;
ac Eliſabethæ Amaliæ,
De Domo Landgraviorũ Haſſiæ Darmſtadienſium Magnorũ in Europa Principum
FILIA,
JOSEPHI I. ac CAROLI VI.

G 2

Roma-

Romanorum Imperatorum
ac Archi-Ducum Austriæ,
nec non
PHILIPPI V. Hispaniarum,
JOANNIS V. Portugalliæ Regum,
Amita,
Eleonoræ Magdalenæ pientissimæ,
LEOPOLDI I. Romanorum Imperatoris,
MARIANNÆ CAROLI II.
Hispaniarum & Indiarum Regis,
MARIÆ SOPHIÆ
PETRI II. Lusitaniæ Regis,
DOROTHEÆ SOPHIÆ
ODOARDI & FRANCISCI Fratrum,
Ducum Parmensium,
Conjugis,
VILHELMI Electoris Palatini Rheni,
VOLFGANGI Episcopi Vratislaviensis,
LUDOVICI ANTONII
Magni Ordinis Teutonici Magistri,
Electoris Archi-Episcopi Moguntinensis,
CARO-

CAROLI PHILIPPI
Electoris Palatini Rheni,
ALEXANDRI SIGISMUNDI
Augustæ Vindelicorum Episcopi,
FRANCISCI LUDOVICI
Magni Ordinis Teutonici Magistri,
Archi-Episcopi Electoris Moguntiæ,
Episcopi Vratislaviensis,
Germana Soror,
omnium penè Europæ Coronatorum
Electorum, Principum, ac Ducum
Propinqua.
Unde
omnibus in Orbe Principibus
Veneranda.
Sola mors
secluso omni respectu
in florentissima adhuc ætate,
post Annos Natam Quadraginta Novem
Olaviæ in Silesia Annô M.DCC.XXII.
Die X. Augusti, Sacra sancto Laurentio
Ex

ex hac temporali sustulit vita;
tu Ei Viator precare æternam.

Genius II.

Iconem Mariæ Casimiræ Primogenitæ Regii Principis JACOBI Filiæ exhibens, cum hoc in Stylopata Epitaphio:

MARIA CASIMIRA
Regii Poloniarum Principis
JACOBI LUDOVICI
Filia Primo-genita,
JOANNIS III. & MARIÆ CASIMIRÆ
Regum Poloniæ
Neptis,
post gloriosa Regis Avi sui fata
Reginam Aviam Romam comitata,
pietatem, verecundiam,
ac omne virtutum Genus,
quod à Pientissimis hausit Parentibus;
in Urbe Sanctitatis Matre
per Decades propagavit.
Mortuâ Reginâ Aviâ
ad Regium Patrem Olaviam rediit.
Et quam Regia Princeps Mater
Nono mense Orbi genuit,
Nonô post se genuit & Cœlo,
dū Olaviæ die XVI. Maji A. M.DCC.XXII.
Obedientissima Filia
Mense Nono pientissimā secuta est Matrē,
& quam ex se Virginem Orbi edidit,
Eandem in uterum terræ
Virginem ad se recepit,
dum in uno cum Principe Matre
in Ecclesia Cathedrali Vratislaviensi
condita est tumulo.
Appone Viator:
Requiescant in pace.

Genius III.

Iconem Mariæ Carolinæ Regii

Prin-

Principis JACOBI Filiæ Secundo-genitæ cum hoc in Stylopata suo dolenter exhibebat Epitaphio:

Advenæ & Incolæ,
Hospites & Cives,
vultum ad mæstitiam,
habitum ad luctum
componite!
MARIA CAROLINA
Regii Principis JACOBI
& Elisabethæ Principis Neoburgicæ
Filia Secundo-genita
FRIDERICI MAURITII Ducis de Bovillon
Conjunx,
CAROLI ac LUDOVICÆ
Principum Averniæ Mater,
Ultima Regiæ SOBIESCIANÆ Domus
Zułkieviæ post Patrem
Hæres,
Ola-

Olaviæ xxv. Novembris A. M.DC.XC.VII.
Nata,
Zułkieviæ VIII. Maji, Annô M.DCC.XL.
Mortua
Et quam in eadem
transituram in terris Domûs Gloriam
miraris Viator,
in Cœlis Ei precare perennem.

Genius IV.

Iconem Mariæ Clementinæ Magnæ Britaniæ Reginæ JACOBI Principis Regii Filiæ Tertio-genitæ lacrymando præsentans, ac hoc in Stylobata suo Epitaphium:

Flete Virgines,
Lugete Matronæ,
Plangite Conthorales,
Ordini vestro ereptum Decus,
H Ve-

Vestrùm Exemplar & speculum,
MARIAM CLEMENTINAM
Magnæ Britaniæ, Franciæ, ac Hyberniæ
Reginam
J A C O B I II.
Regiam Conjugem,
CAROLI ODOARDI Valliæ Principis
ac HENRICI Eboracensium Ducis
Matrem,
JOANNIS III. Regis Poloniarum
Neptem,
Quæ Religionem in Deum
Charitate in omnes,
Severitate in seipsam,
Morum integritate ac Sanctitate eximia
pie occubuit.
Aut veriùs
Hanc terrenam in Cœlestem,
transitoriam in perennem
mutavit vitam,
Romæ Die XVIII. Jan: A. M.DCC.XXXV.
Cùm

cùm Annos Triginta tres Menses sex
vivendo peregisset,
In memoria æterna erit justa
& memoria Sanctitatis Ejus benedicetur.

INferiùs duobus Colossis Regiis in magno Choro, superiùs verò in parvo, in medio Columnarum Hemisphærii, quatuor minores obelisci seu Colossi in Stylobatis suis, paulò absimiles in magnificentia sua prioribus Regiis, habentes in epistylio suo Mitras Ducales cum Clava & Insigni Ducū, in stragulo serico aureîs fimbrîs obducto, palmîs & laureîs usq deorsum ornati, cereisq, & lampadibûs accommodè illuminati, repræsentantes quatuor Patriarchales Domos Zołkieviæ Hæredes, scilicet I. Colossus STANISLAUM ZOŁKIEVIUM, Magnum Cancellarium & Supremum Regni Poloniæ Exercituum Ducem, Primum Zułkieviæ Fundatorem & Patriarcham II. JOANNEM DANIELO-
 WICZ,

WICZ, Palatinum Generalem Terrarum Russiæ, Generum Magni Stanislai Zułkievii. III. JACOBUM SOBIESKI, Primum Senatorem Poloniæ, Castellanum Cracoviensem, Generum Præfati Danielovicii ac Magni Zulkievii Nepotem. IV MICHAELEM Ducem in Nieswież & Ołyka RADZIVIŁ, Cancellarium ac Ducem Exercitûs Magni Ducatus Lithuaniæ, Generum JACOBI SOBIESKI, ac Nepotem Magni Zułkievii, sua quisq; Icone in medio suum distinguebat Colossum, in Stylobata verò suô quisq; Epitaphio.

COLOSSUS I.

STANISLAUM ZOŁKIEWSKI Magnum Cancellarium & Supremum Regni Poloniæ Exercituum Ducem, Primum Patriarcham ac Fundatorem Basilicæ Insignis, Mæniorum, Arcis ac Civitatis à suô Nomine Zułkieviæ, cum hoc in Stylobata suô repræsentabat Epitaphio:

Habes Christiane Hospes
Magnum Regni Poloniæ Cancellarium,
ac Supremum Exercituum Ducem,
Primum mæniorum, Arcis ac Basilicæ hujus
Conditorem;
ultimum sui Nominis Hæredem,
ac Nepotem,
Qui Orbi ac Patriæ futurus esset Heros,
ipsa Ejus indicavit infantia.
Nam Quem vix natum incauta Nutrix
ardori Solis in Pomerio exposuit,
Aquila prægrandis
umbrâ alarum suarum protexit.
Adultior factus,

&

& vix aptus regere ferrum,
jam illud in hostes Patriæ convertit,
Adversa pati,
ac Fortia agere à teneris didicit.
Contra Maximilianũ Archi-Ducẽ Austriæ
Pseudo-Electum Poloniæ
in Silesia ad Byczyn pertinacissimè pugnans
& Campi-Ducem agens,
glande plumbea in crure trajectus,
Victor eundem in Poloniam adduxit.
In Livonia ad Rivaliam
Ducẽ Reinholdum cũ suis Svecis prostravit,
Cosacos Zaporovios
cum suo Duce Nalevaiko rebelles,
armis domuit,
Scytharum incursiones
non procul Podoliæ Cameneco,
fortiter repressit,
pacem cum Turcis,
æquis Pactionibûs
suâ Prudentiâ & dexteritate restituit,
&

& ad Oppidum Bussam cum Skindero Bassa
gloriosiùs terminavit.
Moschoviam Poloniæ subjugavit,
ac Tributariam fecit.
Tres magnos Moschoviæ Duces ac Fratres
Basilium, Demetrium & Joannem Suyscios,
vicit & cæpit,
ac Regi SIGISMUNDO
Varsaviæ præsentavit.
Tandem
plurimis pro Patria bellis
præclarè ac gloriosè gestis,
in nova contra Turcas Expeditione
contra plus centena Scytharum millia
ex discordia Civium
& perfidia Valachorum Profugorum
solis sex millibus Polonorum
velut alter Machabæus
gloriosam pro Fide & Patria mortem
ingloriæ præposuit fugæ;
à Solis ortu ad occasum propè decertans
etiam

etiam Hostes in fugam vertit.
Fugientes verò fervidè insecutus
immortalis in medio Eorũ cecidit Victima.
Annô M.DC.XXII. Die VI. Octobris.
Ubi usq; hodie in Campis Cecora
Marmorea extat Columna,
non sine populorum lacrymis.
feralem hanc memoriam deplorantibus
Cui & ipsi Barbari
suas non denegârunt lacrymas.
Tu adijce Tuas Christiane Hospes,
& Viro pro Lege & Patria tam glorioso
Gloriam & Requiem precare æternam.

COLOSSUS II.

JOANNEM DANIELOWICZ, Palatinum Generalem Terrarum Russiæ Generum Stanislai altè præfati Zulkievii, cum suo in Stylobata exhibebat Epitaphio: Mo-

Monumentum Hoc
JOANNIS à Zurow in Olesko
DANIEŁOWICZ
Stanislai Zułkiewski Magni Cancellarii
& Supremi ExercituũDucis Regni Poloniæ
Generi.
Mirare Hospes!
Hic juveniles Annos
in Moschovitico exercuit Bello,
& extinctô à Barbaris Gloriosô Socerô suô
ejusq; Filio unico JOANNE Zułkievio,
non aliud adultior factus, studium ipsi fuit,
quàm Avitum Sanguinem
vindicibûs ulcisci Armîs,
memor Parentum suorum Testamentarii
sibi legati:
Exoriare aliquis Nostris ex Ossibus ultor.
Hinc omnes suos contra Scythas
Sanguine, & Marte impendit conatus,
nec unico Filio suo Stanislao pepercit,
cumq; animô & exemplô suô induxit

pro Patria & Avito Sanguine
gloriosam obire mortem.
Donec & ipse
Annô M.DC.XLII. Die II. Novembris.
Gloriosus pro Patria occubuit,
Et quidem intra Fidelium animarum lamēta
non sine fidelium sibi lacrymis
æternoq; Animæ suæ solatio.

COLOSSUS III.

JACOBUM SOBIESKI, Castellanum Cracoviensem Regis Joannis III. Patrem, Generum Joannis Danielowicz Russiæ Palatini ac Magni Zułkievii Nepotem, cum suo in Stylobata figurabat Epitaphio:

Hospes
Bustum hoc noveris esse
JACOBI à Sobieszyn SOBIESKI,

Primo

Primi Senatoris Poloniæ
Castellani Cracoviensis,
Clarissimâ ac vetustissimâ Janinorum Familiâ
orti,
in qua
licèt Pace Bellôq; plurimi Viri
Præstantissimi
à sexcentis ampliùs Annis floruerunt,
iste tamen illos omnes
aut adæquavit, aut superavit.
Nam cum pueritiam adolescentiamq;
per omnem honestarum artium cultum
exercuisset,
linguarum
Latinæ, Germanicæ, Gallicæ, Italicæ,
Hispanicæ,
quas & Regiones peragravit,
erat peritissimus.
Hîs itaq; instructus, vividum ingenium
ad capessendam Rempublicam convertit.
Nactus est ibidē tempus plenū variîs casibûs,

fune-

funestum Bellis,
atrox seditionibus militum
ipsa etiam Pace durum;
ita tamen in Republica versatus est:
ut nullam Belli Pacisq; partem omiserit.
In Moschoviticis, Tartaricis, Turcicis,
Pruthenicis, servilibus demum cum Cosacis
bellis non vitæ, nō sanguini proprio parcens
opibus ut plurimum suis
numerosisq; Cohortibus Rēpublicam juvit.
Sanguinem quoq; pro Patria
gloriosis profudit vulneribus.
Sed non minus fortis Miles,
quàm Prudentissimus Pacis Cōciliator fuit.
Inter crudelissimum Turcarum
Tyrannum Osmanum,
ferocissimum Svecum,
immanissimos Moschos,
atq; Regnum Poloniæ
ipso conciliante,
Magna cum Reipublicæ Gloria

Fædus

Fædus initum,
Pax firmata.
Sed & Domestica Pacis negotia
nemo sedulius tractavit,
nemo felicius confecit.
Quoties seditiones militum compescuit,
Quoties fluctus Comitiorum
Prudenti Consilio composuit,
Præsertim in Electione Regis
VLADISLAI IV.
Una omnium voce
cum Mareschalcus electus præfuisset.
Ita prudentissime munus hoc obivit,
ut negotium tam arduum;
quod procellis ante suis
pene Regnum hoc ad interitum confecerat,
magno Reipublicæ emolumento
Felicissimo coronaverit fine.
Nec minori quoq; sollicitudine
privatorum negotia tractavit.
Nam totū se Patriæ & amicis ita impenderat

ut

ut juremeritò
æternam in omnem posteritatem
Memoriam & Gloriam
ex rebus pro Patria gestis
promeruerit,
omniumq́, Civium
pro laboribus in gratiam eorum susceptis
amorem sibi conciliaverit.
Et sicut
omnium amor & deliciæ
vivens fuerat,
ita moriens,
mæror & luctus extitit.
Obiit
communi omnium dolore,
Annum ætatis ingressus Quinquagesimum
Die XIII. Junii, Annô M.DC.XL.VI.
Tu Hospes
ut mortuo Vitam æternam
ita
Similes Patriæ Cives precare.

Colossus

COLOSSUS IV.

MICHAELEM Ducem in Nieswież & Ołyka RADZIWILL, Cancellarium ac Ducem Exercitûs Magni Ducatus Lithuaniæ, Generum JACOBI SOBIESKI, Castellani Cracoviēsis ac Pro-Nepotem Magni Stanislai Zułkievii cum suo in Stylobata Epitaphio distinguebat:

Siste gressum Viator,
intuere & mirare!
quantum
ludit in humanis Divina potentia rebus.
Et Tibi unum sæculum
quartum Zułkievianæ Domus
ostendit Patriarcham
post Zułkievios, Danielovicios, SOBIESCIOS, MICHAELEM I.

In

in Nieſwież & Ołyka Ducem
Sacri Romani Imperii Principem,
Magni Ducatus Lithuaniæ Procancellariū
ac
Supremum Exercituum Ductorem,
CATHARINÆ
JOANNIS III.
Poloniarum Regis Germanæ Sororis
Conſortem,
Georgii Magni Lithuaniæ Pocillatoris
Sereniſſimæ Principiſſæ Anhaltinæ
Matrimoniô juncti,
ac CAROLI
Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarii
Duciſſæ SANGUSZKOVIANÆ Copulati,
PATREM,
MICHAELIS V.
ex CAROLO Nati
in Nieſwież & Ołyka Ducis
Caſtellani Vilnenſis
ac Exercituum Magni Lithvaniæ Ducis,

FRAN-

FRANCISCÆ URSULÆ
de Regio WISNIOWIECCIORUM Sãguine
JANUSSII WISNIOWIECKI,
Caſtellani Cracovienſis,
ac THEOPHILÆ de Regia
Leſzczyniana Domo
Unicæ Principiſſæ Filiæ
Matrimoniô juncti,
Duorum Magnæ ſpei Principum
CAROLI & JANUSSII
Triumq; Principum Filiarum
Patris,
nec non feliciter in Zułkiew Hæredis
AVUM,
Magni illius Stanislai Zułkievii
Primi Zułkieviæ Conditoris
Pro-Nepotem,
Quatuor Romanorum Imperatorum,
plurium Europæ Regum,
Imperii Electorum,
Ducum ac Principum

K Co-

Cognatum.
Quæ & quanta
pro DEO, Ecclesia & Patria fecerit,
centena loquuntur monumenta,
& quod æstuans
Zulkievianum illud Antecessorum suorum
legatum
citò ex hac in alteram translatus vitam
exequi non poterat,
exoriare aliquis Nostris ex Ossibus ultor:
perennaturis suis Magni Nominis Posteris
explenda reliquit.
Immortalis est enim Memoria illius;
& nõ recedet à generatione in generationẽ.

QUæ omnia, scilicet Castrum Doloris tam Colossos quàm Genios Regios, Pyramidesq; Ducales, Regia prægrandis Corona deaurata altiùs in medio spiræ Hemisphærii pendula, ex qua in gyrum lintea alba usq; in terram defluebant, nigricantibûs maculîs depicta, ut ab imo suspicientibus mustellinæ viderentur pelles, cum his in interiori parte ornatis pellibus, ab extrà verò sericô coccinei coloris Regiam Chlamydem seu Tentorium formans, hoc totum lugubre, oculis superbum contexit Opus, à facie tamen ingressûs Templi & à facie majoris Altaris diaphanã relinquens lucem; ut lux & splendor majoris Altaris in toto prospiceretur primo intuitu ingressûs Ecclesiæ.

Altare etiam majus nova cælatoria arte & modo Architecturæ Dorico totum ex marmore Orientali ficto de novo fabricatum deauratas habens Coronices, & à fundamento super Stylobatis suis quatuor Virtutes Cardinales cælatoria arte affabre sculptæ hanc in basi Virtutibus Regii Principis JACOBI accommodam habentes Epigraphen:

I.
Prudentia.
Viam Prudentiæ ostendit illi Dominus Isa. 40. V. 14.

II.
Temperantia.

Recordatus Defuncti Temperantiam, Sobrietatem & Modestiam 2. Mach. 4. V. 37.

III.
Justitia.

Justitia ante eum ambulabit. Psal. 84. V. 14.

IV.
Fortitudo.

Accinxit fortitudine lumbos suos. Prov. 31. Vers. 17.

JN medio verò Altaris in Icone prægrandi S. JACOBUS Major Apostolus, dextra sua manum gerens Regii Principis JACOBI in genua inclinati, vestitu Hispanico & Aureo Vellere ornati; à Cujus latere Civitas Hispanica Compostella, & Ecclesia, in qua Corpus dicti S. Apostoli quiescit, quod & Princeps Regius visitaverat visebatur, manu verò sinistra sursum erecta, digitô extensô in Gloria Coelesti Templum & Civitatem San-

ctam in pinnaculo Altaris expressam, & viâ fulgidiâ patentem illi portam, his verbis indigitabat:

Ex hac in Illam.

SErenissimus Princeps Faciem in Civitatem Sanctam erectam & oculos habentem hæc Sanctæ Paginæ supra se expressa edidit verba.

Vidi Civitatem Sanctam Jerusalem novam descendentem de Cœlo paratam sicut sponsam. Apoc: 12. ℣ 2.

Super Coronicibus deauratis in secunda Contignatione Aræ hujus, Turris prægrandis in altum erecta portam grandem & perlucidam patentem habens, quæ viâ inferiùs expressâ ducit ad Civitatem Sanctam, super hanc Turrim in Gloria per Duodecē Portas clausas & lucidas in nubibus signatam habentem ad intrà literis perlucidîs hanc expressionem.

Hæc Requies mea in Sæculum Sæculi; hic habitabo, quoniam elegi Eam. Psal: 131. ℣. 14.

In

In Porta verò Turris in medio ſtans viſebatur Charitas cum chlamyde explicata & hac Epigraphe:

Univerſa delicta operit Charitas. Prov: 10. V. 12.

à Parte Dextræ illius Fides cum hac Epigraphe:

In Fide & lenitate Ipſius Sanctum fecit Illum. Eccl. 45. V. 4.

à Parte altera ſpes cum hac Epigraphe: *Dix: Domine Tu es ſpes mea, Portio mea in Terra Viventium.* Pſal. 141. V. 6.

Super Portam lucidam Turris hæc Inſcriptio:

Introduxit me per Oſtium Portæ Domûs Domini. Eccl: 8. V. 14.

In pinnaculo Turris ſub duodecem Portis, quas prædictæ Virtutes hac voce aperiunt: *Aperite Portas, & ingrediatur juſtus.* Iſai: 26. V. 2.

EX Parte verò Turris hujus peraltæ Civitatis Sanctæ hinc inde duæ Turres minores Domum Regiam SOBIESCIANAM in utroq; ſexu Conjuge & Prole extinctam figurantes, confractæ & corruentes viſebantur. Quarum unam tempus, alteram æternitas ex aëre advolantes deſtruunt & confringunt cum ſuis ſuper eaſdem expreſſionibus.

Expreſſio in turri quam deſtruit Tēpus: *Vocavit adversùm me Tempus.* Threnor. 1. Verſ. 15.

Expreſſio in turri quam deſtruit & confringit inchoanda æternitas.

Attollite Portas Principes Veſtras, & elevamini Portæ æternales. Pſal 23. V. 7.

Totum verò Altare inferius ſuper Candelabris permagnis argenteis, cereis copioſis & lampadibûs ex oleo olivarum apertè & abſcondite ita affabrè & accommodè poſitis illuminatum, ut nihil obſcurum, ſed omnia in luce paterent.

Devotio verò versùs Horam Quintam Matutinam inchoando, ita Majeſtuosè perage-

agebatur, ut novem Missæ omnes Pontificaliter, ordine ut sequitur, cantarentur.

1. Ab Hora Quarta Officium Defunctorum cum suis Prælatis, Canonicis, Totoquè Clero suo peragebat Insignis Collegiata Zulkieviensis. Quô peractô REVERENDISSIMUS GEORGIUS MOCKI, Abbas Sæcularis Insignis Collegiatæ, Missam cantatam Pontificaliter peragebat.

II. ILLUSTRISSIMUS REVERENDISSIMUS DOMINUS ŁASKARIS, Episcopus Zenopolitanus, Infulatus Oły cenlis primâ finitâ suam continuabat.

III. ILLUSTRISSIMUS REVERENDISSIMUS DOMINUS AUGUSTYNOWICZ, Co Adjutor Archi-Episcopatûs Armenorum.

IV. ILLUSTRISSIMUS REVERENDISSIMUS DOMINUS SZEPTYCKI, Suffraganeus Luceoriensis.

V.

V. ILLUSTRISSIMUS REVERENDISSIMUS DOMINUS GŁOWINSKI, Suffraganeus Leopoliensis.

VI. ILLUSTRISSIMUS REVERENDISSIMUS DOMINUS ZAŁUSKI Suffraganeus Plocensis, Magnus Secretarius Regni Poloniæ.

VII. EXCELLENTISSIMUS REVERENDISSIMUS DOMINUS DĘBOWSKI Episcopus Camenecensis.

VIII. EXCELLENTISSIMUS REVERENDISSIMUS DOMINUS SZEMBEK, Episcopus Chełmensis.

IX. EXCELLENTISSIMUS & REVERENDISSIMUS DOMINUS WYŻYCKI Archi-Episcopus Metropolitanus Leopoliensis Pontificaliter suam cantatam Missam solemniter perfecit. Quibus Chorus alternatim per musicos CELSISSIMI PRINCIPIS RADZIWIŁŁ quã Ecclesiæ Insignis Collegiatæ Cantu

L Gre-

Gregoriano & mutata in fractum lugubri voce & acco mmoda ad commotionem respondit.

POst finitam horâ primâ pomeridianâ Missam præfati EXCELLENTISSIMI ARCHI-EPISCOPI, ILLUSTRISSIMUS DOMINUS Abbas ZAŁUSKI, Magnus REFERENDARIUS Regni, funebrem Orationem ad tres horas, Domum, Familiam, Actiones Heroicas Regias SOBIESCIANAS in ultimo Nepote PRINCIPE REGIO JACOBO terminatas facundo ore, & cum plausu deprædicabat, ex Themate *Gen:* 50. *Joseph & turba non modica venerunt ad Atad, & celebrantes Exequias* JACOBI *planctu magno & vehementi, sepelierunt Eum in spelunca duplici.* Jn prima parte, quasi prima spelunca deduxit Antenatos SERENISSIMÆ Domûs REGIÆ SOBIESCIANÆ à LESCONE Primo REGE Poloniarum, & Antenatos Domûs *Arquinianæ* REGINÆ

GINÆ

GINÆ JOANNIS III. Regis ab HUGONE CAPETTO & CLODOVEO Regibus Galliæ. Jn secunda parte, quasi in secunda speluca, deduxit duodecem Regias qualitates, Christianasq; Virtutes Divæ mem: SERENISSIMI REGII PRINCIPIS JACOBI, alludendo ad duodecem Gemmas Rationalis Judicii, quasi Insignis Equestris Patriarchæ JACOBI in duodecẽ Filiis suis expressi *Exod:* 28. Quâ finitâ Conductum, cui tam altè Præfati Pontifices ac Jufulati, quàm etiam JLLUSTRISSIMUS ORATOR, Pontificaliter assistebat, EXCELLENTISSIMUS ARCHI-EPISCOPUS peregit.

Quô peractô R.R. Patres Capucini, qui & funeri cum cereîs assistebant, Exuvias Regii Principis tanquam sui Fundatoris, secundùm etiam vota viventis, à Castro doloris recipientes ad SERENISSIMUM PRINCIPEM Fratrem REGII PRINCIPIS JACOBI in mausoleo separato deposuerunt,

 factis

factis interim pluribûs explosionibûs, tam ex tormentis bellicis, quàm ex Bombardis suis à Milite Polono & Præsidio mæniorum CELSISSIMI PRINCIPIS RADZIWIŁŁ ad aliquot centena in hunc finem ex omnibus fortalitiis conducto. Ultimam Pompæ hujus funebris Periodum immortalibus REGIÆ Domûs SOBIESCIANÆ meritis CELSISSIMO S. R. J. PRINCIPI RADZIWIŁŁ Duci in Ołyka & Nieświeź, Castellano Vilnensi ac Exercituum M. D. L. Duci, Regiorum in Polonia Bonorum SOBIESCIANÆ Domûs Hæredi Elogiorum Volumen, primum Academia Zamoscensis, secundum, Societas JESU Polona; Tertium, Collegium Złoczoviense Scholarum Piarum à Divæ memoriæ REGIO PRINCIPE fundatum, consecrârunt.

Die sequenti REVERENDISSIMUS ABBAS cum Insigni Collegiata sua exposita in Castro doloris Icone REGII Divæ memoriæ Principis ex particulari erga Dominum & Fundatorem suum gratitudine in præsentia Senatorii & Equestris Ordinis parentantium pro Corona mæroris solemnes Exequias; necnon Pontificaliter peregit Sacrificium cum nova illuminatione Basilicæ.

BELLONA
TRIUMPHORUM

Generosè animis,
Gloriosiùs meritis,
Fortissimè virtutibûs,
In militante Ecclesia,

CERTANS
S. SALOMEA *Principissa Poloniæ, Regina Haliciæ, Ordinis Seraphici S. FRANCISCI prima in Polonia CLARISSARUM Fundatrix.*

ad Chocimum

JOANNI III.

Regi Poloniarum palmam victoriæ

PORRIGENS.

Proſapia Beatæ Salomeæ.

FUlcrum Patriæ, Decus Orbis Poloni B. SALOMEA, Leſci Albi Poloniæ, & Grimislaæ, Ruſſiæ Principum Filia, Boleslai cognomentô Pudici Germana, Virgo pudiciſſima: die felicis Natalis ſui, octavâ Menſis Maji, S. Stanislao Epiſcopo & Martyri Sacrâ in Annô Domini 1202. incidentis; mira ſerenavit lætitia omnium Regnicolarum mentes, jam tum in futurum ſuſpenſas: quid infans iſta foret? cui ultra Regium purpuræ decus, ab Atavis Regibus deductum; Sanctitas hæreditaria, (in Adleida Magnâ Materterâ, Miecislai Primi Sorore, Vngariæ & Reginâ, & in fide Chriſti Nutritiâ; in Avo Caſimiro, ob vindicias immunitatis Eccleſiaſticæ, & oppreſſionis ſubditorum, cognomentô Juſto; ejusquè Sorore Adleidâ, Virgine pientiſſimâ, in Hedvigi Trebnicenſi, affini proximâ relucens) cunas jugiter exornavit. A ſereno auroræ exortu,

aureas

aureas diei horas; à cunis vitam quis benè ſecusvè in futurum exigat, non vanô augurio rimamur. *Favus diſtillans labia* lactentis infantis, primum articulatè eructârunt *verbum bonum*, quô non dulcius ullum: JESUS MARIA: Hoc Cœleſtis Orationis exordium, quantis deinde virtutum ſchematis decoratura erat, ad ultimam usquè vitæ illibatæ periodum; evidens ſatis hoc fuit, locupleſq; ſatis indicium.

Prima loquela Beatæ.

Triennis adoleſcentula, verè dilexit nimis Dilectum, qui paſcitur inter lilia: ideoq; repugnante quidem ætate; at intus deproperante, maturam heroicarum virtutum meſſem, Divini amoris igne; inter crepundia jam Virago, *Filias Regis ſupergreſſa univerſas*; Sponſo Virginum, Virginitatem ſuam ſacravit. Dubium, rationis an voti prius compos? vix dum gemmans & ſimul tam maturo prædives fructu vitis aurea, *virgines germinans*.

Votum virginitatis, trimulæ.

Seu ratio ſtatûs confinium Regnorum, plerumq;

In Ungariam Beatæ Deductio.

rumq; pactis cunnubialibûs intimiùs côalescentium; seu zelotes Divus amor ut haberet cor sponsæ, *argentum igne examinatum, probatum, terræ purgatum septuplum*, totus aureus ipse; Paranymphos Regni Ungariæ, in Poloniam adscivit; Colomano Filio Andreæ Regis trimulo, parilis ætatis Salomeam Sponsam de futuro poscentes. Diu ambigui Parentes, cessere tandem, magìs providentiæ (*à fine usq; ad finem attingentis fortiter & disponentis omnia suaviter*) quàm importunis precibus, iteratò repetitîs minîs: securi, innocentiam trium puerorum in camino ignîs: fidem Danielis in lacu leonum: castitatem Joseph, Zuzannæ & Judith Heroinæ, etiam in medio opprobrii illæsam fore. Abiit igitùr Sacra DEO hostia, Filia Jephte, Pannonicis in montibus, virginitatis devotæ illustre trophæũ erectura, illustrius virginitate sponsi: quo cum iisdem sub nutricis pietatis, ac disciplina-

Desponsatio Beatæ cum Colomano.

plinarum trabeas ornantium Magistris, novenne stadium decurrens; facilè datum cõsortem, imitatorem illibatæ invenit puritatis: quàm illa Regno, omnibusquè caris ejus longè antehabuit. *Quàm pulchri sunt gressus tui Filia Principis in calceamentis* frenatæ carnis! progressus tui in virtutibus humanis opes excedentibus, *quã pulchri sunt gressus Filia Principis?* Thesaurum inventum, quem simplex promissio absconderat; Solennî votô Seraphici Francisci Tertium Ordinẽ Colomano professa, *& Soror & Conjunx*, DEO consecrat. Verè *sapiens Virgo unaquè de numero prudentûm!* quæ Paradisum in terris statu innocentiæ vernantem, custodiâ Cherubim, romphæam hanc flammantem vibrantis firmitèr communivit. Æternas cogitationes in mente habens, carnem jejuniîs, ciliciô triplicî, & id genus asperitatibûs, per duo de triginta Annos nequidquam intermissîs macerat; oculis ar-

Votum Tertii Ordinis S. Francisci.

Mortificatione, Orationes nocturnæ.

M ctam

ctam custodiam, *ne vanitates hauriant*, admovet: vultûs serenam majestatem lacrymis, ornamentorum *fallacem gratiam* vestimentis viduitatis cōpescit:, insomnes noctes profundæ rerum Divinarum contemplationi, orationiq; impendit: mereturq; in ea confirmationis in gratia, novissimum Verbi de Cruce respondentis verbum: *Consummatum est.* Luserat in aula Fratriæ, Germana Colomani, quinquennis Kinga, aliàs Cunegundis. Quid? *Rebeca decora nimis, virgoq; pulcherrima?* ut fratri Pudico locô sui, redderet sororē sponsi pudicissimā; cistæ hædinis pellibus hirtæ volentē recludit infantulam; gemmasq; simulans unionē utriusq; Regni, omni vinculô solidiorem, contribulibus credit. Dein ut Reginæ Matris Mariæ graves iras molliat, furtum puerile innocens noxa, virgâ minacî scapulis admota, eluit. Quàm bonus sine felle dolus! quantum sanctitatis facinus, & excessus!

S. Cunegundem in Poloniam ablegat.

cessus!

cessus! Patientiæ, asperrimis adversitatibus eruditæ tantò conspectius ut esset omnibus exemplar; Haliciæ, quæ Regia olim Supremorum Russiæ Principum & Metropolitana, ex post Leopolim translata, sedes erat; per Vincentium Kadłubek, Episcopum Cracoviensem, Lesci Principis Legatum, eximiæ sanctitatis Virum, circa Annū Domini 1217. uncta & coronata cum Colomano, rerum totius Albæ Russiæ seu Galaciæ potitur. Bis infidi populi fallaci geniô exuta Regnô, carceremq; & mille incommoda passa: bis restituta;, æquam in adversis ac prosperis servavit mentem: bonisq; mala data rependens, *sicut lilium inter spinas*, uberiùs multò effloruit. Nimirùm & ipse, cui se bino ante voto obstrinxerat, *Sponsus sanguinum*, cum suprema pro nobis patitur; tum demùm, *JESUS Nazarenus, Rex Judæorum*; Spinis coronatus inauguratur. Charitas, Divinæ bonitatis in genus hu-

Regina Haliciæ coronatur

Eleëmosinaria in omnes benefica.

 ma-

manum grandis eluvio diffusa est in corde Virginis, prodigiosamq; nedum prodigam Regiarum opum in egenos, orphanos, sacros Religiosarum Personarum cætus, Ecclesias, earumq; Ministros dispensatricem exposuit: ejus vestigiis pressiùs inhærentem, *qui exinanivit semetipsum formam servi accipiens*: famula facta famulabus suis, ancilla subditis, pauperũ providẽtissima Mater, & pupillorum Tutrix. Quinquè triginta Annos, vitam Angelicam, in fragili carne professi exegerunt, cùm supremã legẽ mutuæ ab invicem separationis desuper accipiunt; felici ac beato fine Colomani Regis adimpletã, A. D. 1240. Parentavit castis lacrymis, integerrimæ fidei, & illibati pudoris, desideratissimo Consorti, unaquè Sponso Virginitatis suæ, dulce Epithalamium profuso in gaudia corde cecinit: *Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia: inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Regni Mundiq; curîs expedita,

Mors Regis Colomani.

Fundatio Cœnobii in Zavichost, Professioque.

Cœle-

Cœlestem Religiosi statûs vitam, quam semper anhelabat, auspicari quàm primum gestiẽs; in Zavichost, vico Istulæ imminẽte, (quem Pater Lesco, immortalî triumphô, de Romano Roxolaniæ Principe, ibidem cum ingentibus copiis, ad internecionem deleto, illustraverat) extruit Parthenon, Regiaq; liberalitate Fratris Pudici, amplissimè dotat. Ubi numeroso Virginum choro stipata, crinem DEO sacrum, cum iisdem totondit; ac in manibus Prandotæ, Episcopi Cracoviensis, vitæ integerrimæ Viri, solenniter Religionem S. Claræ professa, Virgoq; Virginum Mater consecrata; *facta est quasi oliva fructifera in Domo DEI: Filiæq; ejus sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ suæ. Lætare sterilis quæ non paris! quia multi filii desertæ, magìs quàm ejus, quæ habet virum.* Sæva, crudelissimæ gentis Tauricanæ tempestas: quæ tum primùm per Regnum Poloniæ, vicinamq; Silesiam, & Moraviam, horrendum quàm detonuerat, Annô Do-

Prima incursio Scytharũ igne ferroq; vastat Virginis Cœnobium.

mini

mini 1260. igne in sacras ejus Monasterii ædes, ferrô in DEO dicatas hostias, debacchata est. Sexaginta propè Virginũ chorus innocens uno ictu gladii cadens, totidem palmas erexit, utraq; Martyrii & Virginitatis laureolâ vernantes. Aberat tum negotiorum causâ Cœnobii sui: Pia Mater venit ad tristem nuntium è Castro Sandomiriensi, vidit funera Filiarum, sacrosq; cineres lacrymîs calentibûs lustrans, sepulturæ paravit: atq; ita purpureas Paradisi sui rosas Spineæ coronæ *Sponsi sanguinum* innectens, immaculata germina, *Agno sine macula* dedicavit. Pulchra *Noëmi eademq; Mara, id est amara, quia amaritudine valde replevit eam Omnipotens, egressa est de loco peregrinationis suæ Aquila magnarũ alarũ, volavit in desertum, in locum suum, à facie serpentis:* vulturũq; cadaveribus innocuæ prolis suæ pastorum, cruentam ingluviem vitans, tutiora quæsiit; ac præruptis in rupibus, *de Lapide S. Mariæ* nidum posuit. Petram Thebaidis, sacram illam Eremum dixeris

Secunda fundatio in Lapide S. Mariæ

xeris; in qua periculorum secura, soli servire DEO cum Filiabus statumq; perfectũ, omnibus, imò operaria onerumq; bajula una pro omnibus. Adolescentularum quoquè de sæculo venientium, non secus ac velatarum Virginum, Sanctæ educationi & operationi, solicitè intenta. Pridie Festi Sancti Martini Episcopi, post vigilias noctis, in psalmodia & oratione peractas, dum inter Missarum solennia, verba Evangelii altiùs contemplatur: adurenteq; liquidum cor Divini amoris igne, intûs vehementiùs æstuat, febriculâ exteriùs corripitur. Prædocetur demum *tempus resolutionis suæ instare:* sacram supellectilem opere suo & ære factam Ecclesiis distribuit: curam sæpulturæ suæ beneplacito Fratrum S Francisci committit: totâq; mente DEO adhærens corde, ore, continuò ruminat: *Cupio dissolvi. & esse cum Christo! Quis nos separabit à charitate Christi? an mors?* Invictam, *super lectum doloris*, Famulæ suæ patientiam, sex dierum

Prænuntia mortis horæ.

Apparitio Sanctissimæ Matris.

erum ſpatiô exercitam, antequam *ſeptimô ab omni opere ſuo requieſceret*; Auguſta Cœlorum lenire dignata eſt, apparens cũ Choro Angelorum graviter fatiſcenti. Inclaruit ſubitò auguſtiore ſerenitate, efflorescens vultus vî morbi extenuatus; labiaquè poſt internum, cum DEI Matre colloquium, ſubrisere hilariùs. Novitatem rei ádmiratæ adſtites, quid hoc eſt anima? ajunt: In medio amarulenti maris, tàm dulcis orta malacia? in naufragio, tam lætum celeusma? Quêis illa: Matrem Domini mei accipio: Dominam meam, ad indigniſſimum mancipium ſuum, tam humaniter divertentem adoro. O Mater DEI hominis tam humana! tam popularis Majeſtas tua eſt! Præſentes demùm Filias adhortata: *ut inventum theſaurum cuſtodirent:: mutuam charitatem ante omnia* foverent: deſponſationis ſuæ CHRISTO JESU, Filio DEI jugem memoriam haberent, 17. Menſîs Novembris die. Annô D. 1268. ſurgente aurora, moritur an oritur? in ſpecie lucidiſſimi ſyderis, Cœlos penetrans; occinente Angelico Choro: *Fœcundum floruit Virga Aaron.* Appages omnis hinc luctus! *Non mortua eſt puella, ſed dormit:* Cui *obdormienti in Domino*, tam dulcem conciliat ſomnum Harmonia Cæleſtis! Octavo dein die, in Eccleſia S. Magdalenæ, intra ſepta ejusdem Aſceterii, ſepelitur: ibidem honorem ſepulturæ Sponſæ ſuæ, Domino procurante, & compluribûs miraculîs illuſtrante. Tertiô Calendas Julias, Anni inſequentis 1269. Mandatô Judicii Fori Eccleſiaſtici, omninò incorruptum, odoreq; inuſitato fragrans Virginis corpus (quàm evidens hoc erat, Sanctitatis ac integritatis indicium:) è tumulo eruitur: Cracoviæ, in Baſilica S. Franciſci, Regio ſumptu Fratris Pudici erecta, deponendum. Quanti valoris illud, apud DEUM erat, (*qui cuſtodit oſſa Sanctorum ſuorum*) ex ſumma quantùm pendebat, deducta

Mors Beatæ.

Translatio Cracoviã in corrupti Corporis Beatæ menſe octavo.

colli-

colliges. Quatuor juga boum, impositâ currui movere non suffecerunt. Ivit tamen subitò, cùm primùm Pater Spiritualis, Virtutis Sanctæ Obedientiæ, renitentē admonuit: candidissimâ circumvolante, & identidem supra feretrum, requiem quæritante aviculâ. Genium Divæ dixeris, exuvias suas efferentem, an animantem? Duos supra quinquaginta annos, orbitatē suam Filiæ derelictæ deflentes; impetratâ legitimis ex causis summi Ecclesiæ Capitis veniâ; Matrem proximiùs consecuturæ, Cracoviam Domicilium tranferunt, in Ecclesia Sancti Andreæ constitutum; extinctô ibidem, auctoritate Principis Vladislai, de consensu Episcopi Cracoviensis Nankeri, & Abbatis Sieciechoviensis Patroni, Collegiatæ titulô, translatîsq; ad Ecclesiam S. Egidii Canonicîs. A. D. 1320. viciniores foco materni affectûs flammulîs, corda earum penitùs succendenti; tantò effer-

Translatio Conventûs de Lapide S. Mariæ ad Ecclesiam S. Andreæ Cracov.

efferbuerunt ardentiùs, *videre* non *sepulchrum*, sed *lucernam*, de *sub modio* sepuchralis umbræ, in candelabrum Ecclesiæ sublevatam, publicitùsq; lucentem. Sed tam pia desideria, propè quater centum annîs dilata fuere: Divinô ideoquè investigabilî Sponsi consiliô, Filias Jerusalem adjurātis: *Ne suscitetis, nequè evigilare faciatis Dilectam, donec ipsa velit: donec adspiret dies, & inclinentur umbræ.* Venit tandem *Cressâ digna dies notâ*, unaq; de volumine, tot sæculorum retrolapsorum, feliciùs evoluta. Annô Domini 1630. Mensîs Martii sextâ; quâ Martini Episcopi Cracoviensis auctoritate; amotô imprimis Altariô, in medio Ecclesiæ prædictæ S. Francisci, suprâ sepulchrum erectô, Sacra Divæ Lipsana, binis loculis inclusa, de tenebris prodiere in lucem hac inscriptione legitimatâ: *Ossa felicis memoriæ Dominæ Salomeæ sunt ista: A. D. M.CCC.XL. levata, primò lota, hic posita.* Quis tum Craciæ, ad spectaculum tam lætum, tamq; diu ar-

Sublevatio Reliquiarum miraculô illustris.

denti-

dentiùs, expectatum effusæ plausus? quæ mens, qui sensus Filiabus, immensum quã de Matris negotio sollicitis? Adlatã ad crates Ecclesiæ, per Vicarium in Spiritualibus de corpore Beatæ particulam, osculô oris amplexuq;, cordis accipiũt; mediisq; in gaudiis attonitæ hærent: quum una earum per visionem, nocte prœcedente admonita accurrit; contractam *ulcere pessimo*, per quinquennium dextram, subitò extendit; sacrum pignus, pollens potensq; prẽdit, ori pectoriq; admovet; & inter svavia dulcis Parentis, sese benè habentem miratur; votumq; concipit, & omninò implet: in posterum non aliàs, sacram synaxim sumptura, ad crates illas accedens; præterquàm lucernâ in recognitionem beneficii, manu illâ, accensâ, & prætensa. Lampas hæc Prudentis Virginis, novo munifici beneficii lumine coruscans; studia asserendi publici cultûs ejus in cordibus piorum, tantò

Erectio Ædiculæ B. Salomeæ, in Lapide S. Mariæ

tantò ardentiùs exindè accendit. Filiarum imprimìs, indulgentissimam in Matrem, amor architectus; *in Lapide S. Mariæ, in loco habitationis suæ;* felicisvè excessus, & sepulturæ primitivæ; tot sæculis deserto, propeq; extremis obliviis sepulto; Ædiculam sub titulo in Cœlos Assumptæ Deiparæ; & Beatæ Salomeæ, muratam erigit: assignatâ trium millium florenorum dote, pro Presbytero, Altarisq; provisione. Annô Domini 1642. Hœc tamen sivè incuria ædificantium, seu (quod magìs censendum est) arcano Providentiæ impulsu, (ut augustiori moli, ornamentisq; totius Loci sacri, exquisitioribus concederet) intra Annorum spatium, proximam inclinavit in ruinam. Ad enixas Serenissimi Regis Joannis Casimiri, Reginæ Ludovicæ Mariæ, Senatûs Populiq; Poloni preces; ALEXANDER VII. P. M. Causam Canonizationis Beatæ, Annô Domini 1660. Sa-

Beatificationis Divæ Series.

Sacræ Congregationi Rituum commisit; quam in sequente Annô 1661. eadem Congregatio, ad Episcopum Cracoviensem, seu Suffraganeum ejus remisit. Qui Annô Domini 1663. die 16. Julii: in causa processit; fabricatoq; legitimo Processu, A. D. 1665. 7. Mensis Martii; Decretum super Cultu immemorabili Beatæ, tulit. Quod demùm dicta Sacra Congregatio, 6. Mẽsis Maii A. 1673 approbavit: accedẽteq; Sanctitatis suæ, CLEMENTIS X. benigno assensu, ad repetitas Serenissimorum Regis Michaëlis, Reginæ Eleonoræ, prædictorumq; instantium preces, Missam de Communi Virginum Mart; Officiumq; duplex, ab omnibus (per totum Regnum Poloniæ, die felicis obitus ejus, 17. Novembris) recitandum concessit, eodem Annô

Triũpho seu Solennitas Beatificationis Divæ.

Domini 1673 die 23. Septembris. Ivit ocyor Euris, felix Nuntius, à Vaticana Petri sede, Beatificationis, & annuæ Celebritatis Decreta deferens; prævenitq; è voto, designatam auspicandæ Solennitatis, tot sæculorum desideriis non concessæ, diem ejusdem Anni 1673. Mensis Novembris, sextam decimam. Quâ niveus ille; innocenti vitâ magis, quàm Lilio Natalitio Præsul, seu Laodiciæ Angelus, Nicolaus Oborscius, Cultus immemorabilis Beatæ, Judex; in summa Cleri, Religiosarũq; Familiarum, ac populi omnis status, & conditionis frequentia, Nobilissimo Urbis Magistratu, Civibusq: universis, in suas Centurias distributis; cum apparatu armorum, signorumq; triumphalium splendore, Principem suam, Heram, Patronam, salutantibus; fideliq;, ac sincera devotione accipientibus: sacras de Corpore & Cilicio Beatæ, apud Moniales Filias ejus, asservato, Reliquias, ab Ædibus Sancti ANDREÆ, per summum forum Urbis detulit, & in Basilica S. Francisci ad Sepulchrũ ejus-

ejusdem deposuit. Præibat Lipsana sua, Imago Beatæ; infinita gemmarum ornamenta, velut sidera; suda nocte micantia, augustiore vultu longè superans: splendidiorquè, ac serenior oculis influebat omnium, *micans veluti inter ignes luna minores.* Resonabant tota Urbe, Sacrarum Ædium, sonoræ, turres: percussus pyriô pulvere æther, plausum effusum dabat; ignibûsq; cadentia sidera provocantibûs, festivissimè ludebat: tympana hinc lituiq; profusas in gaudia mentes excitabant; isthinc pectora suspiriis fatigata, svaviùs demulcebant voces harmonicæ Cantorum. Quorum unus dum canit, puerilique lusu trusus de arcu triumphali, ante vestibulum Ecclesiæ S. Andreæ erecto, præceps cadit; auxit mirificè triumphi gloriam: attritis enim cervicibus, cum pallida mors, extremam noctem oculis, vultui livorem sepulchralem obducit; tantillumq; luctantis Spiri-

Spiritus, cum sanguine oris elidit; accurrit unus Patrum Conventualium S. Francisci ibi præsens, porrectamq; de Corpore Beatæ particulam moribundo admovet. Stupor (*alterno redeunt chorô risus & gemitus: nascuntur mediis gaudia luctibus*) oscitavit puer, sublatusq; ac à sanguine lotus; eadem die, ac per totam Festivitatis octavam, laudes DEO, ac Beatæ Benefactrici, sospes decantavit. Quod verò palmarium est; dum procedente Triumphi pompâ, populus per Ecclesiasten admonitus; cum Sancto Pontifice, pro Exercitu Polono, extra fines Patriæ, contra Turcas tendente; ad Divam Patronam, Partium illarum quondam Dominam, vota precesq;, Domino Exercituum offerendas, fundunt; increbrescere cæpit, incerto quidem auctore at in tali temporis circumstantia, non certior apud omnes acceptus, rumor victoriæ Chocimensis ingentibus ausis, supremi tum Exercituum Regni Ductoris, feliciter nunc

O Regnan-

Regnantis JOANNIS III. partæ: de Husseim Bassa, castris firmissima rupium, valliquè corona munitis, cum triginta millibus veteranorum, calentibus adhuc Candiæ spoliis superbientium, exuto; propeq; ad internecionem (paucis, qui nuntii cladis essent elapsis) deleto: quinta ante die S. Martino Episcopo Sacra. Quis tibi tunc sensus Parens Lechia? quando Joannes, pro Michaële, pridie fatis functo, (ut Magno Successori locum concederet) salutem Patriæ, victricibus armis asserit; Martinusq; & ipse miles, Mavorti Polono Joanni, auspicium pugnæ dat; an non Regina quondam oræ illius SALOMEA, pro DEO, proq; Patria, cum Joanne pugnante, illis *stetit acris in armis*? Quod si & triumphum Victoris, triumpho suo mirificè prævenit, exornavitq; an non vincenti, Tutrix, & Adjutrix adfuit, & contra hostem Antesignana præivit? Post cruentam pugnam,

pugnam, post peractum in campo Gradivi certamen, JOANNES Reportator victoriæ Chocimensis, in numeroso comitatu Heroum Polonorum cum applausu incedens pompaticè pro Consilio, honoratur ùt Ducum Princeps, ùt Mars adoratur Sarmaticus, cui in itinere argentea substernuntur Numismata cum hoc addito ex una parte: JOANNES SOBIESKI Mareschalcus & Supremus Dux Exercituū Regni Poloniæ; ex altera verò: supra Chocimum exculptū sequentes versus appositi:

Frangere si magnum est Solimanæ cornua Lunæ
Vincere spes omnes, vincere castra Duces
Bistonias acies Urbesquè hæc omnia Martis
(Te Duce) Sarmatici robore victa cadunt.

ALtera dein post octavas hujus Solennitatis die, gratiæ solennes Domino Exercituum, in Arce Cracoviensi actæ; totaq; Urbe, triumphale insonuit Jo! dubitavitq; Populus Polonus, quod Statori rerum suarum, anathema sacraret? an Lauream im-

marcessibilis gloriæ, magnanimo Duci? an aureum Diadema, Cœlitus jam designato Regi, ùt refert in opere suo clarissimo Auctor Perillustris & Excellentissimus Reverendus Dominus Sebastianus Piskorski, U.J.D. & Professor in Universitate Cracoviensi Eremi B. SALOMEÆ De Lapide S. Mariæ Presbyter observandissimus (licèt in JANINA ob incuriam Typi aliter exprimatur.)

ICON

Celeberrimæ Chocimēsis victoriæ; per JOANNEM III. partæ, Typus proponitur.

HIEROGLIPHICON.

Beata SALOMEA Virgo, in nubibus Deiparæ Virgini, cum Pureo JESU comparenti, supplicia vota fundit.

L E M M A.

Adstitit Regina à dextris cuis.

E P I G R A M M A.

Præclusit SALOMEA Tuis, Rex magne, Triumphis:
Tecum pro Patria, Lechica Amazon agens.
Gloria supremi Divæ, te poscit honoris:
Tu, ut Mater Patriæ, Sancta vocetur, age.

Ita præfatus Auctor.

GRatiâ miraculorum celebris S. SALOMEA, quod in vita gesserat, post mortē sæculis memorandum, reliquit. Infans primis labris, Jesum Mariam loquitur, Puellula, Jesū Sponsum, voto virginitatis lubarrat: Mariam trimulam Virginem, trimula Virguncula ponè sequitur. Princeps, & omnium ancilla; Conjunx, & Virgo intacta; Regina deliciis affluens, & continuis propè annis triginta, aspero cilicio nusquā exuta. Quis talia fando? quæ verò operata est consilio manuum suarum, cooperāte Spōso, postquam introivit cum eo ad nuptias; de summa mirabilium suorū; in Processu Beatificationis, paginâ, 25. cannotatorum, ubi deduxeris nonnulla; de innumeris aliis, facilè judicabis. Prodeunt ibi quatuor mortui, vitæ restituti, quinq, jam deplorati sani: quatuor in partûs periculo servatæ: octo cæci illuminati: unus à nativitate claudus, saliit ùt cervus. Etiamnum quoquè quanta præstet beneficia cliētibus

Sāctitas Beatæ miraculis illustris.

ſuis; loquitur vocalis urna Cinerum ſuorum: Lapis, de pariete habitationis ejus clamat: quinimo (inquit ſupra relatus P. R. D. Sebaſtianus Piſkorſki) ipſa hæc Typi ſepia, ne muta magìs quam piſcis, ſileat Divæ Benefactricis magnum nomẽ; linguam, accepti beneficii publicum præconem, mutuatur libenter, ab ipſo hujus opellæ Impreſſore. Qui trinam prolem, ſibi diarrheæ violentiâ, ſucceſſivè ereptam, intimiùs dolens; dum quartam triennem puellam, eodem malo correptam, jamq; duabus ſeptimanis laborantem periculosè, conſpicit; voto concepto, currit ad Petram refugii: quod ſimul ac implevit, eadem luce rediens; natam benè ſanam, lætus parens invenit. Annô Domini 1688. ipſo die S. Bartholomæi Apoſtoli. Plura Principiſſæ Beneficia, pretioſiores dotes Regalis Virginis, ampliora Triumphorum Bellonæ facinora S. SALOMEÆ in Olympo Sancta annotavit æternitas, cui linguas Cœli ſcilicet Stellas, pro facundo Oratore expoſuit. Hæc Regina Haliciæ, Principiſſa Polona, in Polo Empyreo ſolium gloriæ teneat, quæ conſtituta in Terris Triumphatori DEO, honoris conſecravit victoriam.

Et hæc cedant

Ad M. D. T. O. M. G. B. V. M. Honorem,

ac Sanctæ SALOMEÆ Venerationem.

Ita vovet.

Jacobus Caſimirus Rubinkowſki

Conſul & Ober-Poſtarum Magiſter

Torun: S. R. M. Secr: